66 Similiter credo legatum relictum consanguineis maritandis, quamvis nequeat, conferri consanguineæ tempore testamenti conjugatæ: ob dicta n. 64. utpote quod est relictum incertis personis: at si testatore mortuo nupsisset, existimo cum duobus Jurisperitis ex doctoribus hujus regii prætorii Granatensis posse illi dari. Quod non omnino incertæ personæ relictum sit, sed quodammodo certæ, nempe, personis ex testatoris genere. Et quando nupsit, habebat jam jus aliquale ad hoc legatum, acquisitum a testatoris morte.

67 An vero legatum relictum certæ personæ maritandæ, eodem testatore postea eam in matr. collocante, minori summa in dotem tradita, debeatur quoad residuum? consulendi sunt *Bart. & Doctores l. Lucius, l. 1. ff. de legat. 2. & ibi Peralta num. ult. Cov. cap. Officii, num. 9. & 10. de testam. Baeza de non melior. filiab. cap. 2. fine.*

68 Tandem an legatum seminis maritandis possit dari ingredientibus religionem? dixi l. 1. disp. 33. n. 29.

DE IMPEDIMENTO
Impotentiæ.
DISPUTATIO XCII.

An impotentia coeundi, & qualis impediat ac dirimat matrimon. subsequens?

SUMMARIUM.

Explicatur quotuplex sit impotentia: & an frigiditas detur in femina: & nimius calor viri aliquando sit impotentiæ dirimentis matrimonium causa, num. 1.
Impotentia perpetua dirimit matr. non autem temporalis, 2.
Quid, si impotentia temporalis sit ignota alteri contrahenti? Refertur quædam sententia, 3.
Proponitur sententia Auctoris, 4.
An laborans impotentia temporali peccet tunc contrahens? 5.
Impotentia, quæ est maxima difficultas, an obstat valori matrimonii, 6.
Potentia seminandi intra vas est opus ad matrimonii valorem, num. 7. & ibi, quid si vir non intrare possit, sed matrix feminæ attrahat.
Improbantur dicentes eam non peti, sed solam coeundi potentiam, 8.
Satis est femina capax sit seminis suscipiendi, quamvis non seminet, 9.
Quid, si vir solam seminis partem intra vas emittat, 10.
Quid, si femina tam arcta sit, ut nequeat semen intra vas suscipere, aut susceptum non retineat: vel præ latitudine aut alio morbo cognosci a viro nequeat, 11.
Quid, si femina conscia impotentiæ viri ad seminandum, cedat jure suo, 12.
Quacumque ex causa contingat impotentia, sive ex nimio viri calore, sive ex abominatione mulieris, dirimit matrimonium, 13.
Matrimonium eunuchi carentis altero solo testiculo valet, 14.
Quid, si utroque testiculo orbatus sit? Refertur duplex sententia. num. 15. & 16.
Id matrimonium non valet, quamvis femina conscia defectus fuerit, 17.
Quid, si eunuchus daretur verum semen emittens, 18.
An senes valide contrahant, 19.
Quid, si in ætate decrepita sint, 20.
An ratione senectutis possit alicui matrimonium denegari, 21.
An mulier quantumvis vetula valide nubat, 22.
Quid, si senex ita sit exhaustus, ut jam sit impotens? Refertur quædam sententia, 23.
Proponitur sententia auctoris, 24.
An steriles ad matrimonium sint habiles? Refertur quædam sent. 25.
Sententia Auctoris, 26.
An valeat matr. quando mulier nequit absque vitæ periculo parere? Refertur quædam sententia, 27.
Proponitur sententia Auctoris, 28.
Quid si femina mortuos filios pariat, 29.
Satisfit argumentis, 30.

1 Disputatio de hoc impedimento apprime necessaria est, quod frequenter in tribunalibus Ecclesiasticis accidat, & in confessionibus occurrat: facillimumque sit circa illud aberrare, tum ob nimiam ejus difficultatem: tum etiam, quia satis obscure disputatum invenitur. Et ideo qua claritate potuero, illud enodabo. In hoc ergo impedimento is ordo servabitur. Primo loco agetur qualis impotentia matrim. dirimat: ubi de impotentia naturali, absoluta, vel respectiva, accidentali ratione senectutis, abscissionis testiculorum, vel maleficii. Secundo loco de impotentia, quando ab altero potente cognoscitur: & de jure, quod matr. dirimat. Tertio loco quando matrim. ratione impotentiæ separatum, restaurandum sit, invento errore, ex fecundis nuptiis, aut fornicatione impotentis. Ubi & qualiter lis intentanda sit contra sententiam latam, & qualiter in causa matrimonii nunquam transeat in rem judicatam. Et num liceat divortium ratione illius copulæ in fornicatione aut matr. habitæ. Quarto loco quando impotentia subsequitur matrimonium: & quando dubitatur an præcedat, an potius sequatur: & qualiter tunc liceat usus matrimonii. Quinto loco de impotentia temporali ratione ætatis puerilis, status morbi, ut de matrimonio constituti in mortis articulo. Et de matrimonio hermaphroditi. Tandem qualiter probanda sit impotentia, & de computatione triennii experientiæ potentiæ ad coeundum. Præmittendum est, quid & quotuplex sit impotentia. Est enim vitium naturale aut accidentale impediens coitum. Potest autem consurgere ex causa intrinseca naturali, ut ex viri frigiditate, aut ex feminæ arctitudine. Frigiditas enim reddens conjugem impotentem soli viro accidit. Ut egregie docet *D. Th.* ab universis receptus *4. d. 34. q. un. art. 2. ad 6.* ea ductus ratione, quod mas sit agens in generatione, femina vero solum patiatur. At frigiditas passioni non obstat, sed soli actioni reprimens membri virilis motionem. Quare minus bene *Ant. c. fi. n. 6. vers. Hæc doctrina, de frigid. & malef. & ibi Præpos. num. 5. v. Quæro generaliter*, ajunt posse in femina reperiri frigiditatem matr. dirimentem, jura tamen illius non meminisse, quod fere impossibile sit eam probare. Vocatur autem impedimentum hoc frigiditas: cum quandoque etiam caloris excessus possit virum impotentem reddere, ac matr. dirimere (ut dicemus n. 13.) Quod auctore *D. Th. 4. d. 34. q. un. a. 2. corp.* superfluus calor vix potest esse impedimentum perpetuum. Impotentia hæc potest duplici ex capite provenire: nempe ex causa intrinseca & naturali, ut frigiditate in viro, aut arctatione in femina: aut ex causa extrinseca accidentali, ut ex maleficio, quod utrique sexui commune est: aut ex castratione, quæ viri est peculiaris. Rursus impotentia quædam est perpetua, quædam temporalis. Deinde alia est imporentia ad copulam: alia vero ad solam generationem, quæ vocatur sterilitas. Tandem impotentia perpetua, quædam est absoluta respectu omnium: quædam vero respectiva respectu hujus vel alterius similis.

Præsens ergo disputatio petit qualitatem impotentiæ perpetuæ, ut matrimonium subsequens irritet, quando ea est generalis respectu omnium. Quam aliquibus conclusionibus ac corollariis ex eis deductis explanabo. Prima conclusio. Impotentia perpetua ad copulam reddit irritum subsequens matrimonium: secus de temporali. Hæc est apud omnes certissima. Et de impotentia perpetua constat ex *cap. 2. de frigid. & malef. & ex toto eo t.* Quando autem impotentia est temporalis, eam non dirimere, constat ex *c. Fraternitatis, vers. Quamvis igitur, eod. tit.* Et ratio utriusque partis est: quod perpetuæ impotentiæ repugnet obligatio ad copulam conjugalem ex matrimonii contractu consurgens. Impossibilium enim nulla potest esse obligatio, *l. Impossibilium, ff. de reg. juris, & c. Nemo ad impossibile, de reg. juris in 6.* Secus de impotentia temporali. Qui enim in præsenti non est solvendo, cum tamen sit spes fore in futurum, potest ad solvendum obligari: cujus obligationis incapax est, qui nunquam solvendo foret. Quod si objicias, matrimonium impuberis irritum esse: cum tamen sola temporali impotentia laboret; dic id esse peculiare in casu, quod jus Ecclesiasticum matr. impuberum irritarit, quamvis impotentia eorum temporalis sit. Quod in alia impotentia temporali minime statuit. Quare existente eodem impotentiæ temporalis impedimento, ex ætatis debilitate consurgente, post pubertatem valere utique matr. eo quod jus Ecclesiasticum utique ad illam solam ætatem irritarit, ut dicemus disp. 104. n. 18.

Quidam temperant posteriorem hujus conclusionis partem, ut impotentia temporalis non dirimat, quando a conjuge potenti est tempore contractus scita: secus si ipsum lateret. Ducuntur, quia *D. Th. 4. d. 36. q. un. a. 1. corp.* æquiparat impotentiam servituti. At hæc licet temporanea dirimit, si a conjuge libero ignoretur (ut probavi hoc lib. 7. disp. 19. n. 4.) Et confir. quia utraque non simpliciter, sed ad tempus actum matrimonii impediunt, imo multo magis impotentia temporalis, utpote quæ prorsus impedit: cum servitus solum liberum usum impediat. Secundo, quia ignorantia qualitatis suapte natura ad contractus finem petitæ ipsum vitiat. At hujusmodi videtur hæc impotentia, cum ad copulam habendam, quæ matr. finis est, desideretur coeundi potentia. Hujus sent. videtur clar. *Sotus 4. d. 34. q. un. a. 2. col. 4. immediate ante vers. Rogas autem*, ubi ait impotentiam hanc temporalem non esse impedimentum necessarium, instar cognationis, sed voluntarium. Et *eo. a. col. 8. vers. Postremum denique*, explicat esse impedimentum spontaneum: quia si contrahentes permanere velint, sunt veri conjuges. Atque ita clare sentit si alter potens ignorarit, & nolit stare matrimonio, dirimendum esse, instar matr. cum servitutis ignorantia contracti. Eamdem tenent *Enriq. l. 11. de matr. c. 10. n. ult.* ubi ait viro impotenti ad tempus, valeret matr. si uxor impedimenti conscia cedat jure suo.

Sed nullatenus mihi placet hæc limitatio: atque ita tenendum est, eam impotentiam quantumvis ignoratam ab altero minime obstare valori matrim. Ducor, quod is error circa impotentiam temporalem non dirimat jure Ecclesiastico matr. nullum enim jus irritans reperitur: imo ejus valori valde suffragantur textus de hoc impedimento loquentes, absque aliqua enim distinctione decidunt quando impotentia est temporalis, non irritari matrimonium, ut constat ex *cap. Paternitatis, de frigid. & malef.* Nec etiam jure naturali dirimat. Quippe ea impotentia non tollit simpliciter matrimonii finem, sed secundum quid, scilicet pro aliquo tempore: ac proinde non efficit involuntarium simpliciter, sed secundum quid, instar erroris qualitatis. Et confirmatur, quia si hæc impotentia ignorata dirimeret jure naturali matrim. valde deficiens esset juris canonici decisio, si in re ad mores valde necessaria, & ubi de gravissimo animarum periculo tractabatur, hoc tacito disponere (ut disponit *cap. Fraternitatis, de frigid. & malef.*) matr. semel dissolutum ratione impotentiæ existimatæ, perpetuæ restaurandum esse, comperto impotentiam esse temporalem. Tandem quia potentia coeundi perpetua non est matrimonii essentia: alias impotentes ad tempus nullatenus possent contrahere. Non ergo jure naturali, nec Ecclesiastico, impotentia temporalis ignorata dirimit matrimonium. Nec obstant in contrarium adducta num. præcedenti. Non primum, quia *D. Th.* de impotentia perpetua loquitur: & est in ea sententia, ut ea non dirimat matr. nisi quando est ignorata (ut dicemus disp 97. num. 1. & ab ea recedemus ibi n. 2.) Nec est simile de errore servitutis, & errore impotentiæ temporalis. Quia jus Pontificium irritat matrim. iniitum cum errore servilis conditionis, *cap. 2. de conjug. serv.* At non invenitur textus irritans, quando est error impotentiæ temporalis. Et hinc patet ad confirmationem. Nec obstat etiam secundum. Quia negandum est eam qualitatem esse suapte natura ad finem matrimonii requisitam: solum enim petitur, ne sit impotentia perpetua. Et ideo pro hac sententia sunt universi alii Theologi & Jurisperiti, qui cum *D. Th. 4. d. 34. q. un. ar. 2. corp.* indistincte tradunt impotentiam temporalem non obstare valori matrimonii. Et in propriis terminis docent *Petr. de Led. de matr. q. 58. ar. 1. in difficult. principali, paulo ante solutionem ad arg. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 235. n. 1. in fine.*

5 Sed adhuc superest difficultas, an saltem reus alicujus culpæ sit conscius suæ impotentiæ temporalis, si ea durante matrimon. ineat? Id enim affirmant quidam, nec explicant culpa ne mortalis sit, an sola venialis. Videtur enim a recto ordine deviare obligare se ad solvendum eo tempore, quo impotentia solvendi adest. Sic docent *Ricard. 4. d. 34. ar. 2. q. 1. Asten. 2. p. sum. l. 8. t. 26. ar. un. q. 1. Turrecr. 33. q. 1. in sum. ar. 1. n. 9. Sotus 4. d. 34. q. un. ar. 2. col. 3. in fine primæ concl.* Idque limitant. *Ricard. & Asten.* nisi magna necessitas vel utilitas id suadeat. Verum in contrarium urget, nullam videri culpam; si gravi morbo laborans matrimonium ineat, quamvis tunc reddere debitum nequeat. Quia lex matrimonii obligat ad reddendum debitum instar præceptorum affirmativorum, nimirum, semper, non tamen pro semper, sed salva incolumitate personæ, & temporibus commodis. At hic potest obligari ad reddendum tempore quo fuerit potens. Deinde, quod impotens ad tempus solvendum debitum pecuniarium, nullius culpæ reus est, si fe ad solvendum obliget tempore quo certius est se solvendo fore. Et ideo existimo nullam esse culpam ex natura rei: at posset esse ratione deceptionis conjugis potentis, quando diu duratura esset impotentia, & eo ni detegeretur. Quia esset deceptio in qualitate valde necessaria: exponereturque alter incontinentiæ periculo: nec ipsi posset imputari non inquisivisse circa hoc, sicut imputatur quando de aliis viri partibus non curat certior fieri. Quia aliæ possunt diligentia præmissa sciri, nec tenetur quispiam proprios defectus detegere: at defectus ille potentiæ est occultus, & de eo nunquam inquiri solet.

6 Secunda conclusio. Impotentia coeundi, quæ non est vera impotentia, sed solum maxima difficultas, non dirimit matr. ut si potest esse vera commistio, sed cum maxima difficultate, & periculo ægritudinis. Hæc conclusio est certissima, & constat ex *c. 2. de conj. leprosi*, ubi decidit matr. cum leproso esse validum. Et ex *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* ubi quando per incisionem absque mortis periculo factam potest mulier arcta reddi apta copulæ, definitur valere matrimonium. Et tamen in utroque eventu est maxima difficultas. Et ita docet *Petr. de Ledesf. de matr. q. 58. ar. 1. col. antep. in solut. ad 5.*

7 Tertia conclusio. Ad valorem matr. non latis est potentia vas seminem penetrandi, sed desideratur potentia seminandi intra illud: quare potens coire, impotens tamen perpetuo ad semen emittendum in vas, vel quia nullo modo seminat, vel quia præ nimio calore, ita præpropere, ut vas expectare nequeat, est incapax matrimonii, si id vitium ita sit perpetuum, ut nulla medicinæ ope tolli possit. Quia de ratione matr. est traditio potestatis corporis ad copulam conjugalem. At non reputatur copula conjugalis deficienti semine. Coitus enim solum est via ad actum conjugalem perficiendum. Secundo, quia ad matrimonii valorem desideratur copula, per quam conjuges una caro efficiantur, ut constat ex *cap. Laudabilem, de frig. & malef.* ibi: *Uterque jureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur quod mulier posset ad secundas nuptias convolare.* Quod idem habetur ex *epist. D. Greg. relata cap. 2. 33. q. 1.* At non fiunt conjuges una caro absque seminatione intra vas (ut probavi l. 2. disp. 21. nu. 5.) Et ideo hanc conclusionem docent ex Theologis, *Palud. 4. d. 34. q. 2. ar. 1. concl. 2. num. 8. & ar. 2. conc. 3. num. 14. & ibi Sot. q. un. ar. 2. paulo post princ. Ovand. ibi disp. un. prop. 1. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 12. §. 1. & 2. fin. Led. 2. p. 4. qu. 60. ar. 1. col. antep. Veracr. 1. p. spec. ar. 38. con. 6. Augl. florib. 1. p.* ubi de matr. *qu. 8. art. 1. dub. 1. diffic. 1. Petr. de Led. de matr. q. 58. ar. 1. dub. 4. quod movet circa solut. ad 4. principale, Val. 4. p. disp. 10. q. 5. punct. 3.* ubi de imped. impotentiæ, *vers. de hujusmodi impotentia, Enriq. l. 11. de matr. cap. 10. num. ult. & l. 12. cap. 7. num. 5. & c. 8. n. 1. Toled. d. 7. sum. cap. 12. n. 2. Manuel 1. tom. sum. 3. edit. cap. 235. num. 2. fi. Cannelo sum. sacram.* ubi de matr. *cap. 5. statim in princ. Bar. a Ledesm. de matr. dub. 45. concl. 3. Vivald. candel. sacram. 1. p.* ubi de matr. *num. 235. Ludov. Lop. 2. par. instruct.* ubi de matr. *cap. 52. statim in princ. notab. 1. Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 113. Hieron. Llamas methodo curat. 3. p. c. 8. §. 13. fin* Et ex Jurisperitis, *Abb. c. 2. nu. 5. de frig. & malef. & ibi Alex. de Nevo num. 5. Rainerius 2. par. sum. t. de matr. c. 27. Angel. verb. matr. 3. imped. 16. num. 3. Silvest. verb. matr. 8. qu. 16. dict. 3. & 7. Rosella verb. Impedimentum, imped. 15. num. 3. & ibi Supplem. Pisanæ, impedim. 15. num. 4. Rebuf. praxi benef. reg. de dispens. in gradib. prohibitis gl. 5. n. 49. Roland. de lucro dotis, q. 184. num. 3.* (habetur t. 9. tr.) *Sylva nuptialis verb. Seni non est nubendum, in l. 2. n. 12. Turrec. 33. q. 1. in summ. ar. 1. n. 15. concl. 5. Nav. sum. lat. cap. 22. num. 59. Anton. Cucus l. 5. instit. majorum t. 12. n. 218. & 259. Gut. l. 1. q. canon. c. 16. num. 18. Caval. 2. par. dec. 18. num. 6. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. num. 159. Barbosa leg. 1. p. 1. num. 92. 96. 97. ff. solut. matr. Lancel. instit. juris canon. l. 2. tit. quæ matr. impedire possunt, §. Item frigiditas, v. Nara, Gaeta c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 538.* Quid autem si vir non intra seminet, sed matrix attrahat? dicam disp. 99. n. 37. 8

Quare minus bene Doctores aliqui de hoc dubitant, & Pontificem consulendum docent, quando vir membrum erigit, nec est maleficiatus, at nullatenus consummat, sed statim semen emittit extra vas nec medicinis potest juvari. Hi sunt *Hostien. sum. t. de frigid. §. Qualiter, & quando n. 13. Alberic. in suo diction lit. I. verb. Impedimentum, impedim. 15. Asten. 2. p. sum. l. 7. t. 37. ar. 1. q. 5. Brunel. de sponsalib. concl. 28. limit. 5. n. 22.* Et quando potest coire, non tamen seminare, validum esse matrimonium, sustinebunt omnes asserentes Eunuchos valide contrahere, quos referam n. 15. illi enim non verum semen emittunt. Et in hanc partem licet dubius inclinat *Auctor Supplem. Gabr. 4. d. 34. q. un. ar. 1. notab. 4.* & dubius manet *Boril. ibi q. un. ar. 3. diffic. 2.* Et tenent *Hugol. de matr. c. 19. n. 1.* Et clare videtur tenere *Emm. Sa sum. verb. Matrimonium*, ubi de impedimentis dirimentibus in impedim. impotentiæ, *nu. 14.* At nullatenus recedendum est a doctrina communi, quæ verissima est: & maxime post motum proprium Sixti V. quem n. 17. referam, ubi decidit matr. Eunuchorum esse irritum, cum tamen experientia constet eos posse coire: sed irritum est, quod verum semen non emittant.

Valeret tamen matrimonium, si vir seminare posset intra vas 9
ac femina capax esset seminis virilis recipiendi, quamvis ea impotens esset ad seminandum. Quippe femineum semen non est præcise ad generationem necessarium, quamvis valde conferat. Et ita docent *Nav. l. 4. consl. tit. de frigid. & malefic. in priori edit. consl. 3. num. 12. & 13. in post. consl. 2. n. 12. & 13. Led. & Barbosa nu. 7. allegati, Veracr. 1. p. speculi ar. 38. concl. 9. Guttierez q. canon. l. 1. cap. 16. n. 16. & 17. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. num. 198. Enriq. l. 12. de matr. cap. 7. num. 4.* Non tamen ex hoc adeo certum, quia innititur illi principio philosophico, semen femineum non esse necessarium ad generationem: cujus oppositum est probabile. Quare sentientes esse necessarium, dicent quoque eam feminam esse matrimonii incapacem: sicut est vir, qui semen nequit emittere. Sicut in simili adverti lib. 2. disp. 21. num. 11. & hoc lib. 7. disp. 64. n. 21.

Nec censendum esset matrimonium nullum, si vir non totum semen possit intra vas fundere, sed partem. Quod ea 10
seminis pars intra vas recepta sufficiens sit ad consummandum matrimoniam, & efficiendum conjuges unam carnem. Sic *Ovand. 4. d. 34. disp. un. corol. 3.* quod infert ex 5. propositione.

Quod si femina tam arcta esset, ut non posset semen intra 11
vas recipere, nec arte aliqua juvari posset, incapax matrimonii foret Quia nil refert an ex parte viri an ex defectu feminæ consurgat impotentia seminandi intra vas, atque ita consummandi matrimonii, ut conjuges efficiantur una caro. Quod ad matrimonii valorem desideratur probavimus n. 7. *Sic Supplem. Gabr. 4. d. 34. q. un. ar. 1. propos. 4. Toledo lib. 7. sum. cap. 12. n. 2.* Similiter esset incapax matrimonii femina, si præ latitudine aut alia latenti ægritudine cognosci minime posset a viro. Constat ex eadem ratione. Et docent *Host. summ. t. de frig. & malef. §. Quæ impotentia, n. 5. & 6. & cap. Consultationi, n. 1. eo. tit. & ibi Jo. Andr. n. 2. Ant. in fine, Alber. in suo diction. lit. I. verb. Impedimentum, imped. 15. Astensis 2. par. sum. leg. 8. tit. 27. q. 1. Greg. Lopez l. 2. verb. Tan estrechas, tit. 8. par. 4. Gaeta cap. Ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 233. num. 536.* Secus esset, si femina recipere posset semen intra vas, quamvis semel susceptum retinere nequiret: tunc enim valere matrim. Quippe tunc vere consummatur matrim. ac efficiuntur conjuges una caro: & ipsa solum sterilis est: quod valori matrimonii non obstare dicemus nu. 26. Sic *Ovandus num. præced. relatus.*

Temperant quidam conclusionem, ut tunc non valeat matrimonium, eo quod vir coire potens nequeat seminare, quando 12
mulierem is defectus latuit: secus si ejus conscia cedat jure suo.

Hujus

Hujus sententiæ videtur *Abb. c.2.num.5.ibi Alex.de Nevo num.5. de frig. & malef. Rosella verb. Impedim. imped. 15. num. 16. Angel. matr. 3. impedim. 19. num. 3. Silv. verb. Matrimonium 8. q.16.dict.3.* Eam enim reddunt rationem, ob quam matrim. non potentis seminare sit irritum, quod mulier clamare possit velle se esse matrem: & ita sentire videntur validum fore, ubi mulier reclamare nequiret, utpote quæ conscia defectus fuit. Et tenent expresse. *Ant. Cucus l.5. inst. majorum, t. 12. n.259. Enriq. l.12. de matr. c.7. n.4.* Idem dicunt sentientes matrim. Eunuchorum valere, quando femina conscia fuit, quos n. 14. referam. Idem docent opinantes nullam impotentiam cognitam dirimere matrim. quos referam disp. 97. n. 13. Sed non placet hæc limitatio. Quia si natura matrimonii petit seminandi intra vas potentiam, ut sic possit tradi potestas corporum ad actum conjugalem, non video qualiter voluntas conjugum efficere valeat, ut absque ea potentia consistere possit matrim. Qua ratione ducti defendemus disp. 97. n. 2. impotentiam etiam utrique conjugi notam dirimere matrim. Adde Sixtum V. in quodam motu proprio, quem nu. 17. referam, declarasse conjugium Eunuchorum esse irritum, quamvis sciente altero conjuge initum fuerit.

13 Nec refert qua ex causa impotentia hæc in viro consurgat: quamvis enim frequenter impotentia coeundi ex frigiditate viri consurgat, & raro ex nimio calore: at aliquando potest etiam ex nimio calore procedere: & tunc si id impedimentum sit perpetuum, quod nec arte medicinæ nec triennio experientiæ cessat, dirimet matrimonium. Quia eadem prorsus est ratio. Sic tradunt *D. Thom. 4. d. 34. q. un. ar.2. & ibi Albertus Magnus ar. 4. ad 6.* quos universi sequuntur. Idem dicendum est, si impotentia in viro proveniat ex abominatione mulieris. Sunt enim viri qui ad pulchram moventur, & non ad deformem: & contigit aliquando ita abominabilem feminam apparere viro, ut nullatenus possit moveri ad coitum cum illa, nec excitare possit concupiscentiam: tunc enim perinde censendum est, ac de impotentia ex maleficio provenienti. Si enim mediis adhibitis ac experientia triennali præmissa non cesset, dissolvetur matrimonium. Ita docent *D. Thom. 4. d.34. q.un. ar.2.ad 5. & ibi Albertus Magna a.6. in 2. arg. & ejus sol. Viguer. l. inst. c.16. §.7. vers.9. imped.11.* Et ex Jurisperitis. *Alberic. in suo diction. lit. I. verb. Impedim. imped.15. Astens.2.p. sum. l.8. t.29. ar. un. in fi. Ang. verb. Matrimonium 3. imped.16. num.14. Silv. matr. q.16. dict.3. Rosel. verb. Impedim. imped.15. nu.8. & ibi Supplem. Pisanæ imped.15. num.7. Tabiena Imped.12. q.7. num.8. Turrecr.33. q.1. in sum. ar.2. n.12. Gaeta c. Ad limina, 30. qu.1. §.4. q.226. n.529.* Quare non intelligo qualiter *Sotus 4.d.34.q.un. a.2. col.7. vers. Quod autem de deformi*, dicat nil ad valorem matrim. referre, si vir valeat excitari ad copulam cum pulchra, non autem cum deformi. Quia cum conditio illa sit nimis per accidens, non ob id dissolvetur matrim. cum deformi initum. Sed aperte contradicunt illi DD. omnes allegati. Quid enim refert, sive a natura, sive ex accidenti impotentia promanet, ad irritandum matrimonium? Si vere impotentia utraque sit, impediatque potestatem tradendi corporis ad copulam conjugalem: eo quod illud accidens reddat eam impossibilem. Adde, impotentiam ex maleficio consurgentem esse valde accidentariam, & tamen conjugium dirimit. Tandem quia (ut docet *Albertus Magnus proxime allegatus*) sunt quidam ex sua natura destituti calore sufficienti ad coitum, qui tamen excitati ex feminæ pulchritudine possunt ad coitum perfecte moveri: non autem quando ea pulchritudo deficit. Est autem monenda hujusmodi femina (ut bene tradunt *Alber. Magnus, & Turrecr. ibid.*) ut munditie, ornatu, affabilitate se amabilem viro exhibeat: ac ipse vir monendus est, ut excogitet causas, quibus ad feminæ amorem excitetur, ut vel sic abominatione illa cessante possit illam cognoscere. Quod si hæc non prosint præmissa triennii experientia, separabitur matrim. illud, sicut quando ex maleficio impotentia provenit. Tandem quacumque ex causa impedimentum perpetuæ impotentiæ consurgat, dissolvetur matr. ea cognita, utpote quod irritum fuit. Cum revera impediat essentiam conjugii, quacumque ex causa oriatur. Sic *Host. c. Consultationi, n.1. de frig. & ibi Jo: Andr. n.2. Greg. Lop. l.2. verb. Friot. t. 8. p. 4.*

14 Ex dictis deducitur primo, quid sentiendum sit de matr. Eunuchorum, qui sana, & integra virilia habent, at altero seu utroque testiculo carent. Et quidem quando solo altero testiculo orbati sunt, nemini dubium est, eos aptos esse ad matr. Quod verum semen idoneumque generationi emittant. Testiculus enim ille potest ministerium generationi necessarium excercere, spiritus ad illam requisitos retinens, & tanquam follis membra commovens. Sicut alter solus oculus videndi actum perfecte exercet. Imo cum virtus unita sit fortior se ipsa dispersa, & in illum unum testiculum omnes spiritus generationi necessarii coeant, qui in utrumque confluere deberent, solent ii ad generandum potentiores esse. Idem probatur ex *l. Si serva, 10. §. Si spadoni, ff. de jure dotium*, ibi: *Si spadoni nupserit mulier, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne: ut in castrato dicas dotem non esse: in eo qui castratus non est (quia est matrimonium) & dotem, & dotis exactionem esse.* Ubi *gl. fin.* ait spadonem in eo textu appellari, qui generare potest: eo quod unum saltem testiculum habeat, & *l. Sed ex quæsitum 6. v. Spadonem, ff. de liber. & post.* ibi: *Spadonem quoque posthumum hæredem scribere, & Labeo & Cassius scribunt, quoniam nec sterilitas ei rei impedimento est.* Ubi *gloss. v. Imped.* ait quia valide contrahit, *& verb. Posse*, explicat de spadone, cui alter solus testiculus deest. Et ideo præter omnes DD. triplici n. seq. allegandos, qui in hoc conveniunt, ita docent *Anch. c. 2. in fi. de frig. Caval. 2. p. dec. 18. n.6. Petr. Greg. in syntag. juris, l.7. c.2. n.18. Lancel. inst. juris can. l.2. t. quæ matr. impedire possunt, § Item frigiditas, verb. Natura, Phil. de offic. sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. cap. 10.*

15 Difficultas autem est de Eunuchis utroque testiculo carentibus. Quidam censent hos ad matr. ineundum idoneos esse, si virgam erigere valeant, ac subinde coire, quamvis semen emittere nequeant. Ducuntur, quod hi satisfacere valeant concupiscentiæ mulieris, & ita obtinetur finis matr. secundarius; nec primarius, nimirum generatio prolis ad ejus valorem desideratur, ut in sterilibus constat. Secundo probari potest ex doctrina *Arist. l. 1. de gen. anim. c.4.* ubi tradit testiculos non desiderari ad generationem, quamvis expediant, tanquam pondera textrinis appensa conferunt, ne liciatorii cursus inter stamina impediatur. Idque comprobat experientia tauri, qui recens castratus cum vacca coiens, illam prægnantem reddidit. Item quia serpentes, & pisces coeunt: cum tamen testiculis careant. Tertio persuaderi id potest, quod *Gen. 37.* Putiphar appelletur Eunuchus Pharaonis. Cum tamen genuerit filiam, quam duxit Joseph. Et ideo hujus sent. sunt *gl. c. Hi qui, in fin. 32. q.7. & c. Nuptiarum bonum, verb. In quibusdam 27. q.1. Anch. c.2. in fin. de frig. Alciatus l. Spadonum 128. n.3. ff. de verb. sign. & l. Si is qui, n.54. ff. de usuc. Bart. Socinus l.1. n.26. & 28. ff. sol. matr. Cepola l. Pomponius, §. Spadonem, n.11. ff. de ædil. edict. Corras. l.1. in lectura, n.16. ad fin. solut. matr. Angel. verb. matr. 3. imped. 16. n.11. Tabiena verb. Impedimentum, imp.12. q.6. n.7. Armil. verb. matr. n.51. Guttier. l.1. q. can.16. nu.8. in sua priori edit. Hugol. de matr. c.16. n. 1.* Idem cum hac limitatione, quando alter conjux id impedimentum novit, tenent *Metina l.5. de sacror. homin. continentia c. 47. fin. & 77. paulo post principium. Palac. 4. d.34. disp.1. immediate ante 4. concl. Philiarcus de offic. sacerd. to. 1. p. 2. c. 10.*

16 Alii vero docent eos valide contrahere, si possint aliquale semen emittere, quamvis ad generationem ineptum. Quoniam vere copula semine intra vas emisso, quamvis inefficaci ad generationem, contenta est, ut in sterilium copula evenit. Atque ita docent *Alexand. de Nevo cons.9. n.4. Palud. 4. d.34. q.2. ar.1. concl.2. num.8. D. Ant. 3. p. t.1. c.12. §.2. Canon. l. 2. commentariorum c. 25. num.9. ad fi. Silv. verb. matr. 8. q.17. dict.7. Veracruz 1. p. Speculi, ar.38. concl.6. Turrecr. 33. q.1. in summ. ar.2. n.11. Bart. a Ledesma, de matr. dub.48. concl.3. Angles florib. 1. p.* ubi de matr. *q.8. ar.1. dub.1. diffic.1. corol. ult.* quod infert ex 1. *concl. Gaeta cap. Ad limina, 30. q.1. §.4. q.234. n.539. Matienzo l.5. recop. tit 1. rub. gl.1. n.195. Lud. Lopez 2. p. instr.* ubi de matr. *c.52. col.3. vers. Unde infertur, Ovad. 4. dis. 34. disp. un. corol. 2.* quod infert ex 5. propos. limitans quando emittunt semen ejus rationis cum vero semine. Et absque ea limitatione *Barb. l. 1. p. 1. n.91. ad fin. & n.93. 94. ff. soluto matr.*

17 Sed indubitata sent. est, Eunuchos utroque testiculo carentes esse matrim. incapaces, ac proinde irritum esse matrim. quod inierint. Quia ad matrimonii veritatem desideratur potentia verum semen intra vas femineum emittendi (ut probavi n. 6.) At Eunuchi quamvis membrum erigant, atque quamdam aquosam materiam emittant: ea tamen non est verum semen, nec ejusdem rationis cum vero semine: nec agitatio fit in principalibus membris, deficientibus testiculis, qui sunt tanquam folles omnia membra commoventes. Nam cor, jecur, & cerebrum, quæ sunt tres nostri corporis præcipuæ partes, transmittunt suos spiritus ad testes, qui virtutem habent hos spiritus retinendi, ex quibus totum corpus calefit. At si testes deficiant, spiritus non retinentur, sed evanescunt illuc transmissi: nec calor per totum corpus reflectitur: unde frigidiores fiunt, & inepti ad verum semen emittendum, ut optime probant ex Galeni doctrina *Ant. Musa in aphorismos Hippoc. & Galeni, l.6. aphoris. 28. & Nicol. Florent. de membr. naturalib. serm.6. tr.1. c.3. ad fin.* Atque *Arist. in problem. sect. 11. problem. 16.* vocat spadones seminis expertes. Sunt ergo Eunuchi incapaces matr. Quare ita declaravit Sixtus V. in quodam motu proprio edito an. 1587. quem verbo ad verbum referunt *Guttier. & Petr. de Ledes. statim allegandi*, cujus verba directa sunt ad Nuntium Apostolicum, & ita ipse declaravit. Verba hoc decidentia in eo motu proprio sic se habent: *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoscumque Eunuchos, & spadones utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas: eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares: & tam locorum* Ordinariis*, ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoquo modo permittat, interdicas: quam eos etiam qui sic de facto contraxerunt, separari cures, & matr. ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Quare hodie dubitari nequit hos Eunuchos esse incapaces veri matrimonii, quamvis femina ejus defectus conscia velit juri suo cedere. Quippe jam id in hoc etiam eventu decisum est in eo motu proprio. Nec obstant argumenta contraria n. 15. proposita. Nam ad 1. resp. Eunuchos non satisfacere feminæ per veram copulam suapte natura aptam ad generationem. Nec finis matrimon. est remedium concupiscentiæ habitum per copulam quamcumque, sed per copulam aptam generationi. Et quamvis senes destituti sint semine sufficienti ad generationem, at verum semen ejusdemque rationis cum semine fecundo emittunt, ac per accidens non generant. Ad testimonium Arist. dic, ejus doctrinam in hoc non esse amplectendam: nam ex doctrina Galeni & saniori constat testiculos esse necessarios ad generationem, non absolute, cum animalia imperfecta his careant, & tamen generant: sed in animalibus perfectis. Nec obstat taurum illum recens castratum generasse. Id enim contingit ex semine ante castrationem recentem deciso. Ad tertium dic Eunuchum sumi in sacris litteris pro ministro Regis. Sicut *Gen.* 40. pincerna & pistor regis appellantur Eunuchi, ut cum, *Cajetano abulensi*, & aliis per ipsum relatis probat *Pereira tom.4. in Genes. c.37. disp. 9. paulo post principium.* Quare hæc sententia etiam ante motum proprium Sixti V. communis erat Theologorum ac Jurisperitorum; eamque tenebant ex Theologis *D. Th. 4. d. 34. in fin. in expositione litteræ. Et ibi Alb. Magnus ar.4. corpore, Almain. q.un. Sot. q.un. ar.2. col. ante pen. vers. Atque hinc judicium, Victoria summ.* ubi de matrim. *n.283. Led. 2. p. 4. q.60. ar.1. col.2. Toled. 7 sum. cap.12. n.2.* & post motum proprium docent *Enriq. l. 11. de mat. c.10. num. ult. & l.12. cap.8. num.1. Petr. de Led. de matr. q.58. ar.1. dub.3. quod movet circa solut. ad 3. principale, Valentia 4. p. disp.10. q.5. punct.3.* ubi de impotentia, *in fin. Manuel 1. to. sum.2. edit. c.235. concl.2. num.2. Vega 2. t. sum. cap.34. casu 113. Vivald. candel. sacr.* ubi de matr. *1. p. num.237.* Et ex Jurisperitis ante motum proprium, *Goffred. sum. tit. De frig. & malef num.5. & 6. ibi Hostien. §. Quæ impotentia, n.7. vers. Quidam autem dicunt: Jo: Andr. cap. 2. in fin. de frig. & ibi Ant. n.6. Abbas n.5. Alex. de Nevo n.5. Præpos. num.4. Idem Ant. cap. fin. n.8. eod. t. & ibi idem Præpos. n.6. & cap. Tanta, n.7. qui filii sint legit. idem Ant. cap. Laudabilem, n.14. de frig. & ibi Alex. de Nevo num.15. casu 1. Arch. cap. Hi qui, n.2. & 3. 32. q. 7. & ibi Bellam. n.1. Bart. Socin. l. Sed est quæsitum, n.2. limit.2. ff. de lib. & post hum. Jo: de Friburgo sum. conf. l. 4. t. 16. q.12. Rom. singul. 634. Ant. de Rosellis tr. de legit. l. 1. t. de causa materiali legitimat. n.31.* (habetur t. 8. tr. p. 2.) *Supplem. sum. Pisanæ, verb. Impedimentum, imp.15. num. 15. Rosella ibi imp.25. n.16. Bolognet. l.1. n.50. ff. solut. matr. Montalv. l. 2. fi. t.8. p. 4. Greg. Lop. l.6. v. Castrado, t. 2. p. 4. Constanus tr. de sponsal. tit. De his qui nuptias contrahere non possunt, num. 72. Alex. Carrer. de spons. l.5. c.16.* (habetur uterque tom. 9. tr.) *Plaza de delictis l. 1. c.24. n.5. Spino speculo testam. gl. 15. principali, n.99. Franc. Marcus decis. 677. Parlam. Delphin. nu.6.* & post motum proprium Sixti V. *Guttier. q. canon. in 2. edit. l.1. cap.16. n. ult.* retractans sent. quam in 1. editione tenuerat, antequam motus proprius ille in lucem ederetur.

18 Non tamen approbo quod tradit *Enriq. l.12. de matr. cap. 8. n.1. in comm. lit. R.* nempe, si daretur aliquis Eunuchus verum semen emittens eum non esse jure naturæ inhabilem ad matr. sed motu proprio Sixti V. esse matr. incapacem. Sed hoc non approbo: quod Sixtus V. in eo motu proprio nil novum statuerit, sed solum jus antiquum & naturale declararit, ut constat ex illis verbis: *Authoritate nostra declares.* Item quia non sola matrimonia in posterum contrahenda irritavit, sed etiam jam contracta: quod Pontificem efficere non posse constat, si valida fuerant. Quare mens Pontificis fuit declarare attento omni jure matr. Eunuchorum esse irritum, ac eos semper fuisse matrimonii incapaces, utpote qui verum semen emittere non possunt. At admissa hypothesi impossibili, ut daretur quispiam rarus Eunuchus veri seminis emittendi compos, is non excluderetur jure antiquo a matrimon. ac subinde nec eo motu proprio, qui nil denuo statuit, sed solum jus antiquum declarat. Quare Auctores nu. 15. relati verum dixere, asserentes Eunuchos, qui seminare possunt, esse aptos ad matrimonium: si quod supponunt, esset verum. At cum id sit impossibile, jure optimo Sixtus V. in universum matrimonia Eunuchorum utroque testiculo carentium irrita esse declaravit.

19 Secundo infertur, quid censendum sit de matrim. senum. Nam eos valide contrahere non posse, suadere videtur, quod eorum semen sit sterile, & non prolificum. Ut ex *Aristot. Galeno, & Alb. Magno* affert *Tiraq. l. 7. canon. gl. 1. p. nu.19.* Item quia *lex Papia Poppea* interdicit viris sexagenariis, ac feminis quinquagenariis nuptias. Verum certissimum est apud omnes, ususque Ecclesię id comprobat, solam senectutem non obstare valori matrimonii. Quare legem illam Papiam tanquam iniquam primus omnium abrogavit Cladius Cæsar, (ut auctores sunt *Sveton. in ejus vita, c. 13. & Alex. ab Alexan. l. 4. dierum genial. c.22.*) & eum secutus est *Justinianus l. penult. C. de nuptiis.* Deinde id probatur ex *D. Aug. de bono vidui. c. 8.* & refertur *cap. Nuptiarum, 27. qu. 1.* ubi agens de nuptiarum bono, ait in quibusdam esse humanitatis solatium. Ubi *gl. verb. In quibusdam*, explicant in senibus. Idem probatur ex *l. Sed quæsit. 6. ff. de lib. & post. hum.* ibi *Quoniam nec ætas impedimento est.* Præterea, quia etsi senes destituantur propinqua, & expedita generandi facultate: est enim in eis veluti suspensum exercitium potentiæ generandi, possunt tamen habere perfectum actum conjugalem, vereque intra vas seminare. Quod ad matrim. firmitatem sufficit. Tandem quia nullus est adeo senex, quin aliquando natura, vel saltem medicinæ arte adiutus possit ad coitum valere ut docent *Gl. d. cap. Nuptiar. verb. In quibusdam*, & alios allegans *Tiraq. proxime relatus.* Et ideo hoc docet *D. Th.* quem cuncti sequuntur *4. d. 34. q. un. ar. 2. ad 3.*

20 Quare immerito de sene decrepito id negaret *Portius inst. de nupt. in princ. col.4. ad fi. vers. in fi. gl.* Et dubium mansit *Ant. Gomez l.9. Tauri n.57. fin. & Enriq. l.12. de matr. cap.7. num.3. in comm. lit.* X. dixit non esse improbabile. Sed dicendum est senes etiam decrepitos capaces esse matr. si nullo alio impedimento præter senectutem laborent. Quod usus Ecclesiæ nullos senes a matr. ineundo reiiciendos comprobat. Idque suadent rationes adductæ, n. præc. maxime ultima. Et ita docent ex Theologis, *Nicolaus de Lyra 3. Reg. c. 2.* in ea verba, *quæramus domino nostro Regi adolescentulam Majoris 5. d.34. q. 1. col. 2. arg. 1. contra 2. concl. Emman. Sa summ. ver. Matrimon.* ubi de impedimentis dirimentib. *in imped. impotentiæ n.14. statim in princ. Enriq. c.12. num.3. Manuel in suis q. regul. t.1. qu.13. ar.1.* Et ex Jurisper. *Jason. l. 1. n.43. ff. solut. matr. Angel. l. Sed est quæsitum, n. 1. ff. de liber. & posth. Lud. de Sardis de natur. liberis 2. p. t. de legit. per verum matr. q. 1. n.3.* (habetur t. 8. tr. p. 1.) *Brunel de Spons. conc.2. ampl.4. num.21. v. Const. de Spons. t. qui nuptias contrahere possunt n. 54.* (habetur tom. 9. tr.) *Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §.2. n.10. vers. 9. Duennas reg. 350. lim. 1. Mant. de conject. ult. vol. 11. t.13. Andr. Gail. l.2. pract. obser. c.141. n.8. Rojas epitome success. c.2. n.21. Matien. l. 5. recop. t.8. l.10. gl. 3. n. 4. Barb. l. 1. p. 1. n. 94. ff. solut. matr.*

21 Unde nunquam ob senectutem deneganda est alicui ab Ecclesia facultas ineundi matr. nisi aliud impedimentum allegetur, & probetur. Constat ex dictis duplici n. præcedenti. Et tradit *Enriquez*, dicens ita usum Ecclesiæ se habere, *l. 12. de matr. c. 7. n. 3.*

22 Atque hoc in femina quantumcumque vetula certius est. Quia frigiditas coitum viri senis impediens, ipsi non obstat, utpote quæ patiens est, & semen recipit: ad quod calor juvenilis minime desideratur, *Silv. Matr. 8. q. 16. dicto 4. in fin. Ant. Cuc. l. 5. instit. majorum t. 12. n. 262. Barbosa l. 1. p. 1. n.97. ff. solut. matr.*

23 Sed difficultas est, an quando vir senex est adeo exhaustus, ut omnino impotens sit ad copulam habendam, nec judicio medicorum juvari arte possit, sit capax matr. ineundi? Quibusdam placet eum non esse incapacem. Nam semper habitu retinet intrinsecam seminandi intra vas potentiam, ac senio per accidens impeditam. Ita videntur sentire *Ant. c.2. n. 5. de frig. & malef. Jason l. Sed est quæsitum n.1. notab.1. ff. de lib. & posthum. Rolandus de lucro dotis q.103. n.17.* (habetur t. 9. tract.) ajunt enim senes valide posse matr. inire: eo quod per accidens sint impotentes, ac impotentia accidentalis non dirimat matrimonium. Et sustinent expresse *Tabiena verb. Impedimentum, imped.12. q.3. n.4. Nav. l. 4. cons. in priori edit. tit. de spons. cons.39. & 15. & 18. & in post. t. de spons. imp. cons.4. num.15. & 18. Manuel 1. tom. sum.2. edit. c.235. concl.5. nu.5. Vega 2. tom. sum. c. 34. casu 61.*

24 At verissima sent. est, eum senem esse matrim. incapacem. Quod nil referat, sive a natura, sive ex accidenti impotentia perpetua consurgat, ac nulla arte restaurabilis (ut n. 13. probavi) Cum is non possit ad copulam utpote sibi impossibilem obligari. Atque hujus sent. videtur *gl. cap. 2. fin. de frig. & malef. & ibi Innoc. num. un. Abbas n. 5. Anch. n.2. Alb. in sua dict. lit. I. verb. Impedimentum, impedim. 15. Montalv. l.2. ad fi. tit. 8. p. 4.* dicunt enim ideo matr. senum valere, quod possint medicinæ beneficio adiuvari: ubi videntur supponere irritum esse, quando juvari nequeunt, Atque in propriis terminis docent ex Jurisper. *gl. l. Sed est quæsitum, 6. verb. Nec ætas, ff. de lib. & posthum. Additio ad gl. l. Sancimus, verb. Homines, C. de nuptiis. Host. cap.2. in fin. de frig. & malef. & ibi Præpos. n.4. Alex. de Nevo n.4. Astensis 2. p. sum. l.8. tit.26. ar. un. q.1. Rosella v. Impedimentum, imp.5. n.16. & ibi Suppl. Pisanæ imp.15. n.2. Angel. verb. Matr. imped.16. num.2. Silv. verb. Matr. 8. q.16. dict.3. Greg. Lop. l.1. in fin. t. 8. par. 4 Zephalus cons. 384. num.48. vol.3. Gaeta cap. Ad limina 30. q.1. §.4. q.220. num. 521. Ant. Cuc. c. instit. majorum, t.12. n.257. Guttier. q. canon. l.1. c.16. num.13. Matienzo l.5. recop. t.1. rub. gl.1. nu.193. Barbosa l.1. p.1. n.94. ff. solut. matrim.* Et dicit esse probabile *Silv. nup. l. 2. vers. Seni non est nubendum, n. 7.* Et ex Theologis *Sot. 4. d.34. q. un. in solut. ad 2. & ibi Ricard. ar.2. q.1. ad 1. Abul. 3. Reg. cap.2. q.25. Scot. 4. d.34. q. un. ar.1. pen. Et ibi Borrill. q. un. ar.2. concl.3. & ar.3. ad 2. Palac. ibi d.1. col.13. Ovand. disp. un. propos.1. Led. 2. p.4. qu.60. ar.1. col.4. vers. Sed dices, Veracr. 1. p. Speculi, ar.38. concl.6. Nicol. de Nisa sup. 4. sent. tr.6. par.3. de matr. q.6. ad 1. Angles florib. 1.* ubi de matr. *q.8. ar.1. dub.1. diff.1. in 2. corollario quod infert ex 1. concl. Petr. de Led. de matr. q.58. ar.1. in dub.4. quod movet circa solut. ad 4. dubii principalis, in fin. Vivald. candel. Sacram. 1 p.* ubi de matr. *nu.238. Lud. Lop. 2. instr.* ubi de matr. *cap.52. statim in princ. notab.1. Barth. a Ledesma de matrim. dub.48. concl.3.* Atque idem dicendum esset, si senex ille posset quidem coire, non tamen seminare intra vas, Tunc enim irritum esset matr. juxta dicta n.7. Et ita docent *Sotus, Veracruz, Angles, Lud. Lop. Petr. de Led. Vivald. Bart. a Led. Matienzo, Barth. eisdem locis.*

25 Tertio infertur, quid dicendum sit de matr. sterilium. Id enim non valere suadetur: quia sicut matr. ordinatur ad copulam, ita ad prolis generationem: imo est potissimus finis prolis generatio. Cum ergo impotentia ad copulam irritet matr. a fortiori sterilitas, quæ impotentia est ad generandam prolem, irritabit. Secundo quia ubi nequit efficax voluntas finis inveniri, nequit etiam mediorum. Cum media sint propter finem. At in sterilibus nequit inveniri efficax voluntas generationis

generationis prolis, quæ est finis conjugii: utpote quæ est illis impossibilis. Non poterit igitur in eis reperiri efficax voluntas conjugii, quod est medium. At sine efficaci voluntate matr. consistere non potest. Tertio, quia *c.1. de frig. & malef.* id videtur decidere ibi: *Si mulier proclamaverit, dicens: Volo esse mater, volo filios procreare*. Et idem habetur *c.* 2. 33. *q.* 1. Ex quibus textibus constat dissolvi matr. ratione impotentiæ viri, muliere clamante se velle esse matrem. Cum ergo similiter clamare possit, idem allegans, vivo existente sterili, dissolvetur eadem ratione matr. Quarto, quia id videtur docere *D. Aug. l. de bono conjug. c.5.* relatus *c. Soler.* 32. *q* 2. ubi censere videtur non esse matr. quando spes sobolis deficit. Et ideo hanc partem tenet *Felinus c. Cum sit n.*1. *vers. Demum scito, de foro compe.* ubi ait matr. non esse, quando mulier natura ita sterilis est, ut deficiat spes concipiendi. Idem censuit. *Jason. cons.*115. *n.*1. *vol.* 1. dicens non esse proprie matrim. ubi mulier sexagenaria illud init. Quod ut vere & proprie dicatur matr. desideretur spes sobolis saltem in habitu & potentia. Conferre etiam videtur, quod tradunt *Præpos. c. Tanta, n.*7. *ad finem, qui filii sint legit. & Barth. Sozinus l. Sed quæsitum, n.* 2. *ff. de l. & posth.* ubi docent quando matrix feminæ est destructa, non valere matrimonium. Sed hæc doctrina nil favet huic sententiæ, intelligitur enim, quando nullatenus semen recipere posset.

26 His tamen non obstantibus, certissimum est sterilitatem nil obesse valori matrimonii. Quod Ecclesiæ usus ita habeat, nunquam enim auditum est dissolvisse aliquod conjugium ratione sterilitatis, imo passim admittit senes ad illud ineundum: cum tamen eorum semen constat esse sterile (ut n.19. probavi) Et inter parentes D. Joann. Baptistæ constat verum fuisse matr. cum tamen illa esset sterilis, *Luc.* 2. Tandem, quia etsi id matrim. frustrretur fine primario, qui est prolis generatio: consequitur tamen finem secundarium, nempe, satisfacere concupiscentiæ vera copula habita. Quod ad ejus valorem sufficit. Et ita sustinet *D.Th.4.d.*34.*q.un.ar.*2.*ad* 3. receptus passim ab omnibus Theologis, & juris Pontificii professoribus, deinceps paucis relatis n. præc. quos optime impugnat *Barb.c.*1. *p 1.n.98.ff.sol.matr.* Nec obstant arg. pro ipsis n. præc. adducta. Quia ad 1. neganda est consequ. Nam quando est impotentia ad copulam, neuter matr. finis reperiri potest. At quando est sola sterilitas, salvatur finis secundarius. Ad 2. dic, illam maximam esse veram, ubi est finis unicus, secus ubi est duplex, & alter saltem reperitur, ut in sterilium matrimon. evenit. Ad 3. dic cum *D.Th.4.d.*34.*in exposit.lit.Magistri*, & cum *D.Bonav. in eadem exposit. n.* 2. sensum eorum verborum esse. *Volo cognosci a viro:* sanctos vero loqui juxta muliebrem pudorem utentes verbis modestis: & ideo non dicunt feminam petiisse coitum: id enim femineum pudorem dedecebat. Ad 4. die cum textum aperte loqui quando id pactum deducitur in matr. contracta, ut proles vitetur. Tunc enim irritum est matr. illud vitiante conditione ipsius bonis contraria, *c. fin. de condit. appos.*

27 Tandem infertur, quid dicendum sit de conjugio feminæ non potentis parere absque manifesto mortis propriæ periculo, cum tamen apta copulæ sit. Quidam sustinent ea impotentia matr. dirim. Ducuntur 1. quod mulier impotens ad reddendum debitum absque vitæ periculo, est incapax matrimonii. Et ideo *c.Fraternitatis de frig. & malef.* decernitur mulierem arctam, quæ sine vitæ periculo aptari nequit congressui viri, esse ineptam matr. atque eam impotentiam censeri perpetuam. At femina non potens absque vitæ periculo parere, nequit absque eo reddere debitum, & cognosci a viro; reddens enim exponitur periculo conceptionis & partus. Secundo, quia cum actus conjugalis sit propter prolem, si mulier sit proli habendæ inepta absque vitæ periculo erit matrimon. incapax: perinde ac si copulæ aptari non posset absque vitæ discrimine. Tertio, quia non potest uti actu conjugali, sive petendo, sive reddendo, ob vitæ periculum. Ergo ad id obligari nequit, in quo essentia matr. consistit. Et ideo hujus sent. fuit *doctissimus Victoria in suis prælect.* ut eum refert ac sequitur *Petr. de Ledesf. de matr. qu.* 54. *art.*1. *in fine. Mart. a Ledesf.* 2. *p.* 4. *q.*60. *ar.* 1. *col.* 5. *vers. Sed circa hæc est dubium, Bart. a Ledesf. de matr. dub.* 58. *conclus.* 2. *Manuel.* 1. *tom. sum. edit. cap.* 235. *concl.*6. *nu.*6. *Vega* 2. *sum. cap.*34. *casu* 109. *Veracr.* 1. *par. Speculi, ar.* 38. *concl.*8. *Matienzo lib.* 5. *recop.t.*1. *rubr.gl.*1. *n.*197. & dicit probabile referens aliquos neotericos *Enrig. l.*12. *de matr. c.* 7. *nu.*8. *in comment.lit.*R. limitantque *Petr. Led. Manuel. Vega ibid.* nisi alias constaret de illius feminæ sterilitate. Cum enim cessaret periculum, valeret matrimonium.

28 Sed quamvis hæc sent. sit satis probabilis, mihi probabilius est, matrim. illius feminæ fore validum. Ducor, quod matr. contractus essentialiter consistat in mutua obligatione ad copulam perfectam suapte natura aptam ad prolis generationem: nec refert, si accidentaliter nequeat sequi proles, ut in sterilib. constat. At hic reperitur obligatio, & traditio potestatis corporum ad copulam perfectam. Erit ergo matrimonium. Et confirm. quia esto matr. absque culpa iniri non posset, minime inde colligitur id fore irritum. Quia satis est copulam suapte natura licitam esse: quamvis ex aliquo accidenti reddatur illicita, ut contingit in iis, qui voto castitatis obstricti sunt. Secundo, quia illa periculosi partus circumstantia non est perpetua. Senectutis enim tempore, quando jam mulier sterilis erit, cessabit. At impotentia, quæ non est perpetua, sed temporalis, minime dirimit matrim. ut probavi n. 2. Tandem, quia impotentia pariendi absque vitæ periculo, tanquam quid posterius ipsa matrim. essentia, illud vitiare nequit. Et ideo hujus sententiæ videtur. *Joan. de Friburgo in summ. confess. l.*4. *t.* 16. *q.*11. ubi ait, quemcumque defectum patiatur mulier, dum modo possit debitum reddere, non dirimi matr. Et tenent *Enrig. l* 12. *de matr. cap.* 7. *num.*8. *fine. Emm. Sa sum. verb. Matrim.* ubi de impedimentis dirimentibus *in imped. impotentiæ, n.* 14. *vers. Quæ sine periculo*. Et in hanc sentent. magis inclinat *Lud. Lop.* 2. *p. instrull.* ubi de matr. *c.* 52. *col.* 5. *vers. Præterea ambiguitatem*.

Similiter valeret matrim. si mulier potens sit ad reddendum debitum, & si taliter affecta esset, ut certum esset fore, ut filios omnes mortuos pareret. Constat ex rationibus adductis n. præc. Et ita docent *Host. summ.* 1. *de frigid. & malef.* §. *quæ impotentia, num.* 6. *Alb. in suo diction. lit.* I. *verb. Impedimentum, imped.* 15. *Jo. de Friburgo, n. præced. allegat. Brunel. de sponsalib. concl.*28. *limit.* 3. *n.* 18. *fin. Henricus cap. Fraternitatis, num.* 5. *de frig. & malef. Asten.* 2. *par. sum.* l. 8. *t.* 27. *ar. unico, qu.* 1. *Franciscus Marcus decis. Delphinali* 677. *n.* 16.

Ad arg. n. 27. proposita resp Ad 1. dic id periculum esse temporale, ut n. 28. explicui. Adde esse remotum: non enim sequitur ex ipso actu conjugali, in cujus obligatione essentia matr. consistit: nec id periculum subeundum est: ut actus conjugalis sit possibilis, in quo casu decidit textus *eod. cap. Fraternitatis*, esse impotentiam perpetuam dirimentem matr. sed sequitur id periculum ex partu, qui incertus est, ac posterior quam matrim. essentia. Ad 2. neganda est consequentia. Quamvis enim matrim. sit propter prolem, ar de essentia ejus non est obligatio ad prolem, sed ad actum conjugalem, unde quamdiu hic possibilis est, nullo vitæ periculo præmiso, ut conjuges apti reddantur ad illum, valet matrim. Ad tertium dic, esto illicitus esset tunc actus conjugalis (de quo dicemus disp. 102. num. 10. & 11.) non inde sequi matr. fore irritum. Quia ut matrimonium valeat, satis est actum conjugalem ex se esse licitum: quamvis ex aliquo accidenti illicitus reddatur. Adde temporaliter fore illicitum, nempe, tempore juventutis, in quo subest concipiendi spes.

DISPUTATIO XCIII.

An impotentia naturalis perpetua, non absoluta erga omnes, sed respectiva erga mulierem aliquantulum arctam, aut virginem, dirimat respectu illius matr. & quando censeatur perpetua?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones discutiuntur, n. 1.
An detur aliqua impotentia naturalis respectiva, dirimens matrim. respectu solius certæ personæ? Refertur opinio, 2.
Si quis sit impotens tantum respectu alicujus, non valebit cum illa matrim. secus cum aliis, 3.
An valeat matrimonium quando vir nequit ob membri magnitudinem aut grossitiem cognoscere feminam, 4.
Datur impotentia naturalis respectu unius irritans matr. & non respectu aliorum, 5.
Satisfit argumentis, 6.
Post n. 6. *invenies alia summaria.*

Disp. præsens triplici quæst. absolvenda est. I. est an detur impotentia naturalis respectiva dirimens. II. quando censeatur perpetua, sive consurgat ex parte viri, sive ex parte arctitudinis, aut virginitatis feminæ. III. quando femina teneatur medicamina, aut incisionem pati, ut apta reddatur congressui virili? 1

Quæstio I. An detur aliqua impotentia naturalis respectiva, ac perpetua dirimens matr. respectu unius tantum, aut alterius feminæ? Quidam negant. Ducuntur primo, ex *c.*33. *q.* 1. ibi: *Nam si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conveniet?* Secundo, quia *c. Fraternitatis, de frig. & malefic.* definitur matrim. dissoluto eo quod vir non possit vas feminæ penetrare, si post modum ea alteri nubat, & ab eo cognoscatur, instaurandum esse prius matr. At Ecclesia insufficienter judicaret, si esset aliqua impotentia respectiva dirimens matr. Posset enim fieri, ut prior vir sit impotens respectu illius feminæ, ad quam cognoscendam posterior vir potens fuit. Tertio, quia *c. Laudabilem, eod. tit.* decernitur, virum separatum a muliere, quod triennio cohabitationis transacto jurarit se non potuisse cum ea consummare, cogendum esse ad eam redire, & tanquam perjurii reum puniendum, si feminam aliam cognoscat. At erronea esset decisio, si esset possibilis impotentia respectiva dirimens. Non enim ex sequenti copula cum alia concluditur prius matr. fuisse validum, neque illum reum esse perjurii. Cum possit allegare se fuisse impotentem respectu illius. Tandem, quia censetur impotentia temporalis, nec dirimens matrim. quando per artem absque vitæ periculo potest illi subveniri, *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* At hujusmodi est hæc impotentia: quando quispiam invenitur potens ad corruptam, non autem ad virginem. Ideo hujus sent. videntur aperte *D. Th.4.d.*34.*q.un.ar.*2.*ad* 5. *& ibi D.Bonav.ar.*2.*q.*2.*ad ult. Asten.*2. *p. sum.l.*8. *tit.*29.*ar.un.q.*1. *Turrecr.*33.*q.*1. *in sum.ar.*1.*n.*9. *Silv. verb. Matr.*6.*q.*1. *vers. Quælibet perpetua, Led.*2.*p.*4.*q.*60. *ar.*1. *colum.* 6. *vers. Circa illud autem, Vigurius l.inst. c.*16.§.7. *vers. imp.*11. ubi ajunt non posse esse perpetuum impedimentum naturale in viro respectu unius personæ, quin sit respectu omnium. At impedimentum, quod non est perpetuum, non dirimit. Et in propriis terminis eam docent *Innocd. o.Fraternitatis, n.*1. *& ibi Alex.de Nevo*, §. *Quamvis, n.*17. *Tabiena verb. Impedim., imped.* 12.*q.*5.*num.*6. *Armilla verb. Matr.n.*50. *Sot.*4.*d.*34.*q.un.ar.*2. *col.*6. *vers. Sed ais, Petr.de Ledesf. de matr. q.*58.*ar.*1.*dub.*5. *quod movet circa solut.ad* 5. *dub. principal. Bart. a Ledesima de matrim. dub.*48. *fine, Hier. Llamas* 3. *par. methodi curat. c.* 8. §. 13.

3 Hæc in re dubitari nequit, quin si revera detur impedimentum naturale perpetuum respectu unius, & non respectu alterius feminæ, undecumque id consurgat, dirimat matrim. respectu illius feminæ solius, ergo quam est impotentia. Constat, quia *c. fin.* 33. *qu.* 1. conceditur impotenti ob maleficium ut dissoluto priori matr. ad aliud transeat: atque proinde prius matr. ob impotentiam illam respectivam accidentalem irritum fuit: Si ergo impotentia non naturalis, sed ex accidenti extrinseco maleficii consurgens dirimit matr. respectu illius personæ, ad quam est, a fortiori dirimet impotentia naturalis respectiva, si ea daretur. Secundo id probat *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* At id ponderabo, n. 5. Tertio, quia sic se habet absolutum, & totale impedimentum respectu matrim. absoluti, sicut respectivum, & particulare respectu particularis. Sicut ergo illud dirimit omnem matr. contractum, ita hoc dirimet peculiarem. Quarto, quia matrim. respicit individuam personam: & cum illa debet iniri. Si ergo respectu illius invenireturpotentia undequaque consurgens, cui nullatenus ope aliqua medicinæ subveniri posset, respectu illius dirimeret matr. non autem respectu aliatum, si cum aliis non esset ea impotentia. Quia respectu illius privatæ personæ non posset esse obligatio ad copulam, utpote quæ respectu illius est impossibilis: at potest esse obligatio cum aliis, cum quibus est possibilis: Atque ita fatentur. *Martin.de Led. & Vigurius pro contraria sent.n.præc. allegati*. Ac disp. præc. nu. 13. retuli ex sent. D. Thomæ, & aliorum, abominationem mulieris dirimere matrim. quando respectu illius impedit perpetuo coitum, quamvis ea impotentia sit respectiva.

4 Hinc deducitur, quando propter membri virilis excessum femina non potest cognosci, nec arte aliqua huic impedimento succurri potest, esse irritum matr. cum illa: quamvis non sit tale cum aliis, erga quas excessus ille membri copulam non impedit. Constat ex dictis n. præc. Atque ita docent *Ricard.*4.*d.*34.*ar.*2.*q.*2. *Rosella* 2. *Impedimentum, imped.* 15. 5. *& ibi Supplem. Pisanæ, imp.*15. *n.*5. *Silv. v. Matr.*8.*q.*16. *dilio* 3. *Brunel. de sponsalibus, concl.*28. *n.*2 *Gaeta c. Ad limina* 30.*q.*1.§.4.*qu.* 224.*n.*527. *Matien.l.*5. *recop.tit.*1. *rubr.gl.*1. *n.*197. Quare minus bene aliqui Pontificem in hoc eventu consulendum esse dicunt quasi res sit dubia. Hi sunt *Host. sum. t. de frig. & malef. col. ult. n.*15. *Alber. in suo diction. lit.* I. *verb. Impedim. imped.* 15. *Jo. de Friburgo in sum. conf. l.*4.*t.*16.*q.*21. *Asten.*2.*p.sum.l.*8. *t.*26.*a.un. q.*4. *D.Ant.*3.*p.t.*1. *c.*12.§.1. *fin. Franc. Marcus decis. Delph.*673.*n.*2. Similiter quando ob membri virilis grossitiem impeditur copula cum certa femina, nec id impedimentum potest medicinis auferri: impedietur, ac irritabitur matr. cum illa, respectu cujus est impedimentum. Et ita docent *Hostiens. ibid. n.*16. *Astensis q.* 5. *Rosella nu.* 6. *Ricardus, Matien. eisdem locis Greg. Lop. l.* 17. *verb. En membros t.* 2. *p.* 4.

5 Difficultas autem eo pertinet, an detur impotentia naturalis perpetua respectiva? nam DD. n. 2. allegati negant. At quamvis id sit probabile, mihi tamen probabilius est, eam dari posse. Ducor, quia stat mulierem tam arctam naturaliter esse, & virum ita pinguem, ut illius membrum penetrare nequeat vas feminæ ita arctæ: cum tamen vir ille alius feminis non ita arctis idoneus sit: ac illa femina non sit inepta aliis viris, non ita pinguibus. Item stat naturaliter quempiam virum ita debilis virtutis esse, ut feminam virginem penetrare nequeat, cum tamen possit corruptam: vel ita calidum esse, ut statim ac congredi conatur, semen effundat, & ita virginem cognoscere non possit: at potest corruptam, respectu cujus nullus conatus exigitur ad vas penetrandum. Nec hæc semper arte medicinæ auferri posse docet experientia. Secundo fortius probat hanc partem textus in *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* ubi separato matr. quod vir mulierem arctam cognoscere non potest, atque illa alii nubente, qui ipsam corrupit, non deciditur absolute prius matr. instaurandum esse, sed quando posterior vir similis est priori (ut n. 12. explicabimus) inde conjectura sumpta sicut potuit posterior, ita potuisse priorem; atque ita non fuisse impotentiam respectivam perpetuam, ibi: *Cum pateat ex post facto quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur*. Supponit ergo textus non restaurandum esse, si prior vir debilior erat, atque ita posteriori dissimilis: atque adeo esse impotentiam naturalem respectivam perpetuam, quæ dirimat matr. respectu certæ feminæ. Idem constat ex eodem textu, in fine, ubi Pontifex ait ex premissis in eo textu decidi quæstionem hanc: An mulier quæ viro, cui nupsit, adeo arcta est, ut ab eo deflorari nequeat, & alii nubens reddita est apta priori per posterioris concubitum, sit reddenda priori? *ubi gl. verb. Debeat*, ait Pontifi-

cem sentire non reddendam, quando priori non poterat reddi apta per artem medicinæ absque vitæ periculo. Ergo jam conceditur impotentia respectiva perpetuo dirimens. Et ideo hujus sent. sunt *gl. eo. c. Fraternitatis, v. Simili, & v. Debeat, Abb. ibi n.* 19. & 20. *Goffred. sum. t. de frig. & malef. n. ult. Albericus in suo diction. lit.* I. *v. Imped. imped.* 15. *Jo. de Friburg. sum. conf. ff. l.*4. *tit.*16. *q.*9. *Monald. sum. tr. de matr.* ubi de impotentia, *sit de impossibilitate coeundi quid sit, & quot ejus species? Brunel. de sponf. conc.* 28. *limit.* 9. *n.*25. *Silv. v. Matr.*8. *q.*16. *dil.*3. *fin. & dil.*4. & 6. *Rosel. v. Divortium, n.* 3. *v. Imped. imped.* 15. *n.*15. *& ibi Suppl. Pisanæ, imped.* 15. *n.*10. *& v.* 14. *& v. Divortium, n.*3. *Turrecr.*33. *q.*1. *in sum. ar.*3. *n.*15. *concl.*3. *&* 5. *Lex reg.* 3. *tit.*8. *p.*4. *& ibi Montalo. v. Divortio, Greg. Lop. ibi v. Dell'secundo & l.*17. *fin. t.*2. *p.*4. *Ant. Que. l.*5. *inst. maj. t.*12. *n.*262. *Matien. l.*1. *recop. t.*1. *rub. gl.*1. *n.*194. 197. *Barb. l.*1. *p.*1. *n.*95. *ff. solut. matr. Hugol. de matrim. cap.*19. *n.*1. Et ex Theologis, *Scot.*4.*d.*34.*q.un.col. penult. in brevioris p. vol. & ibi Durand.q.*2.*n.*8. *fin. Ricard. ar.*2. *q.*2. *Palud. q.*2. *ar.*2. *concl.*2. *n.*13. *& concl.*3. *n.*14. *& a.*1 *concl.*4. *n.*10. *& a. conc.* 2. *n.*17. *Majoris q.*1. *a.d fi. Suppl. Gaby. quin. ar.*2. *corol.*3. *quod infert ex* 1. *prop. Bassolis. q.un. ar.*1. *Nicol. de Orbellis q. un. Bozrill. q. un. a.*2. *concl.*2. *Garth. q.*2. *fin. Sot. q. un. ar.*2. *col.*5. *vers. Verum. Palac. disp.*1. *col.*7. *&* 8. *D. Ant.*3. *p.t.*1. *c.*12.§.1. *Nicol. de Nissa super* 4. *sent. tr.* 6. *de matr. p.*3. *q.*6. *concl.* 1. *Veracr. p. Speculi, a.*38. *concl.*5. *Valentia* 4. *p. d.*10. *q.*5. *puncl.*3. ubi de impotentia, *vers. Et hujusmodi impotentia, Philiar. de offic. sacerd. t.* 1. *p.*2. *l.*2. *c.*10. *Enrig. l.*12. *de matr. cap.*7. *n.*4. *& eod. n.* 9. *in comm. lit.* P. & melius *lit.* Q. *Emm. Sa sum. v. Matr.* ubi de imped. dirim. *in imp. impotentiæ. n.*14. *vers. Quæ simpliciter*.

Ad arg. n. 2. proposita resp. Ad 1. dic textum intelligi, quando 6
feminæ alicui concordare non potest vir naturaliter, id est, naturali frigiditate impediente, ut explicant ibi *gl. v. Naturaliter. & ibi Turrec. paulo post principium, verb. Requisitissimi*. Secus quando vir non est frigidus, sed ob membri debilitatem, excessum, aut grossitiem non est aptus alicui feminæ: tunc enim fieri potest, ut aliis aptus sit. Ad 2. dic, non decidi ibi absolute reddendam priori viro, sed quando uterque similis est. Ad 3. dic, eum textum procedere, quando allegata est frigiditas viri (ut constat ex initio textus) tunc enim non potest esse impotentia respectiva, cum frigidus sit prorsus impotens. Ad ultimum negandum est ei impotentiæ posse semper subveniri.

SUMMARIUM.

Traditur regula ad dignoscendum quando censeatur impotentia perpetua, num. 7.
An impotentia ablata per miraculum valeat matrim. prius initum, 8.
Quid, si auferri nequeat absque peccato, 9.
Quid, si femina aptari nequeat viro absque copula cum altero, 10.
An eo ipso quod comperitur feminam potuisse cognosci a viro potentiori, vel existimetur posse cognosci, præsumat jus potuisse a priori, ac judicet prius matr. fuisse validum? Refertur opinio, 11.
Proponitur sententia Auctoris: & declaratur an sit præsumptio juris, & de jure, ut femina uni cognoscibilis, aut arcta, sit talis omnibus, 12.
Quid, si non sit notabilis disparitas inter utramque virum, 13.
An in dubio an sit cognoscibilis a priori viro, sicut fuit a posteriori, censeatur prius matrim. validum, & ita restaurretur, 14.
An valeat matr. quando impotentia potest medicinis, aut incisione reparari absque corporis periculo; & conjux ea experiri renuit: & quando est dubium an possit? 15.
Quid intelligatur nomine corporalis periculi? Refertur duplex opinio, 16. 17.
Proponitur sententia Auctoris, 18.
Quid, si absque mortis periculo subveniri possit impotentiæ: at brevi duratura est potentia, 19.
An valeat matr. si femina arcta, cui judicio medicorum nequit absque periculo succurri, patiatur incisionem, nec moriatur, ac constat nulli vitæ discrimini eam expositam esse: ac teneatur vir eum eventum expectare, 20.
Quid, si dissolutum sit matrim. quod judicarunt medici feminam non posse absque vitæ discrimine parere, & postea parit, 21.
An feminam favore matr. patientem incisionem, ac læsam manentem, teneatur vir alere, si judicetur id irritum, 22.
An matrimonium ante incisionem initum valeat, judicantibus medicis posse arctitudinem per incisionem absque periculo tolli, 23.
An quando impotentia viri ex sola feminæ virginitate consurgit, censeatur impotentia perpetua, ac dirimatur matr. respectu virginis, quamvis arte medicinæ possit juvari viri imbecillitas, 24.
Quid si is juvari nequeat, sed opus sit medicamenta feminæ applicari, aut claustrum incidi? Refertur opinio, 25.
Proponitur sententia Auctoris, 26.
An eo ipso quod vir impotens ad virginem, potens ad corruptam, præsumatur fore, ut longo usu sit potens ad virginem: & judicetur validum matr. cum virgine? Refertur quædam sententia, 27.

Proponitur sent. Auctoris: & explicatur quid præsumatur in dubio, num. 28.
An possit tunc vir claustra virginis instrumento aliquo ligneo, aut ferreo reserrare: atque si id tentet, sit femina in loco tuto constituenda, 29.
Post n. 29. invenies cetera summaria, quæ desiderantur.

7 QUæstio II. Quando impotentia censeatur perpetua, sive consurgat ex parte viri, sive ex arctitudine aut virginitate feminæ: itaut respectu illius, ad quam est, dirimat matrimonium? Difficultas hujus quæstionis pendet ex intellectu *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* ubi textus loquens de femina arcta, quæ a viro cui nupserat, cognosci nequibat, tradit regulam generalem ad dignoscendum, quando impotentia censeatur perpetua, ac ob id matrim. dirimat, ibi: *Nos tamen perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo poterat removeri.* Ex quo textu universi DD. colligunt eam impotentiam censeri perpetuam, quæ nulla arte humana absque corporali periculo removeri valet. Quare concludunt universi, si solo miraculo auferri possit, esse perpetuam: & similiter si posset per opus humanum, non tamen absque corporis periculo: at esse temporalem, quando naturaliter sine eo periculo auferri potest.

8 Hinc deducitur, matr. initum cum ita impotenti viro, aut cum muliere sic arcta, ut illi defectui absque miraculo subveniri non possit, esse tanquam irritum dissolvendum, etsi ante dissolutionem cessarit jam per miraculum impotentia illa. Quod natura ac valor matr. ex miraculo non pendeat: ac jam verificetur, impedimentum id, perpetuum fuisse, utpote quod absque miraculo cessare non poterat: & proinde matrim. ea impotentia durante contractum fuit irritum, nec convalescere potest, nisi ubi cessavit impotentia, denuo ineatur. Et ita docent *Henricus c. Fraternitatis, n.12. de frig. Sotus 4.d.34.qu.un. ar.2.col.7. immediate ante vers. Sed quid si. Angles Florib. 1. p.* ubi de matr. *q.8. ar.1.dub.7. Lud.Lop.2.p.instruct.* ubi de matrim. *c.52. col.5.vers. Ex quo secundo. Petr. de Ledes. de matr. q.58.art.2. paulo ante 1. dub. Carnedo sum. sacr.* ubi de matr. *c.5. nu.34.* Sed objicies, quando maleficium non potest amoveri nisi per orationes, ac Ecclesiæ exorcismos, non censeri perpetuum, nec irritari matr. Ut constat ex *c. fin. 33. qu. 1.* & fatentur omnes. Cum tamen tunc non esset absque divino miraculo. Dic cum *Soto 4. d.34. q.un.ar.3.col.6. vers. Verumtamen,* non quidquid supernaturaliter divinaque virtute efficitur, censendum esse miraculum: sed id quod insueto fit modo. Ut remissio peccatorum per Sacramenta efficitur sola virtute supernaturali: at quia usitato fit modo, vacat miraculo.

9 Secundo deducitur censeri impedimentum perpetuum, ac proinde dirimi conjugium ratione illius, quando nequit auferri per opus humanum absque peccato. Cum enim id solum dicamur posse, quod licite possumus præstare: impedimentum, quod sine peccato auferri minime valet, dicitur impossibile ablatu, ac perpetuum. Quod textus *c. Fraternitatis, de frig.* decidens esse impedimentum temporale, quod per opus humanum auferri potest, intelligitur de opere humano licito. Atque ita docent *Durand. 4. d.34. q.2.num.8. Pal. ibi q.2. ar.2. concl.1.num.13. Supplem. Gabr. qu.un.ar.2.coroll.5. quod infert ex 3. propos. Sot. q.un.ar.2.col.7.ver. Sed quid si Paldcios ibi, d.1. col. 2. D. Ant. 3.p. t.1. cap.12. §.1. Ledes. 2. p.4.q.60. ar.1.col.6. vers. Sed hæsitabis. Petr. de Ledes. de matr. q.58. ar.1. paulo post princ. Manuel 1. tom. sum. 2 edit. cap. 235. concl.3. n.3. Enri. l. 12. de matr. cap.7. num.4. & num.9. & cap.8. n.2. Emm. Sa sum. verb. Matrimon.* ubi de imped. dirim. ad imped. impotentiæ, *n.14. vers. Impotentia est. Valent. 4.p.d.10.q.5. punct.3.* ubi de impotentia, *statim in prin. Lud. Lop. 2.p. instr.* ubi de matr. *c.52. col.6. vers. Adde denique.* Et ex Jurisperitis *Rainer. 2. par. sum. t. de matr. cap. 27. Jo: de Friburg. in sum. confess. l.4. t.16. q.24. Turrecr. 33. 1. in sum. ar.3. n.15. concl.3. Silv. verb. Divortium, q.19. & verb. Matrimonium 8. q.16. dicto 6. Navar. sum. c.22. num.59. Greg. Lop. l.3. verb. Del segundo, t.8. p.4.* Atque idem docent *D. Th.* & alii Theologi ac Jurisperiti, quos disp. seq. n. 9. referam, qui ob id censent maleficium censeri perpetuum, ac sufficiens ad dirimendum conjugium, quando solo alio maleficio auferri potest: quod is auferendi modus illicitus fit.

10 Tertio deducitur, quid dicendum sit de femina arcta, quæ viro minime frigido nupsit, & ab eo cognosci nequit: at per coitum alterius viri potentioris potest ei aptari, aut jam aptata est. Et quidem si constaret per usum cujuscumque temporis prioris viri, aut arte medicinæ absque corporis periculo non posse aptari, concordant omnes n. præc. allegati, ac statim pro utraque sententia referendi, id matr. esse irritum. Quod sit vere inepta illi viro, a quo immediate cognosci non potest, cum non possit absque culpa lethali fornicationis ei reddi apta per coitum cum alio.

11 Difficultas autem eo pertinet, an eo ipso quod facti experientia comperitur, eam feminam arctam potuisse ab alio viro cognosci, vel matronæ peritæ judicant posse a viro potentiori, præsumat jus potuisse quoque cognosci a priori illo viro, qui nec frigiditate, nec maleficio laborabat: ac proinde judicet matrim. cum illo initum esse validum? Quibusdam placet id præsumi ac proinde matrim. esse validum, & si sic dissolutum fuerit, restaurandum esse. Ducuntur, quod cognoscibili uni, præsumatur omnibus non frigidis nec maleficiatis cognoscibilis: atque arcta uni præsumatur omnibus arcta. Quare præsumit jus potuisse quoque a priori illo viro per longioris temporis usum cognosci, ac id impedimentum non esse perpetuum. Idque probant ex *c. Fraternitatis, de frig. & malefic.* ibi: *Cum pateat ex postfacto, quod cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur.* Quare similitudinem hanc in eo constituunt, quod uterque esset vir, nec frigiditate nec maleficio affectus. Secundo, quia hæc præsumptio videtur juris, & de jure, contra quam nulla admittitur probatio. Cum textus *eo. c. Fraternitatis, vers. Quamvis igitur,* ex eo solo quod ab alio viro cognoscitur ea femina arcta, præsumens esse a priori viro cognoscibilem, statuat illi reddendam: ac prius matr. semel jam Ecclesiæ sententia dissolutum instaurandum. Tertio, quia universi super eo textu scribentes inde colligunt, feminam uni cognoscibilem, unive arctam, præsumi talem omnibus. Tandem, quia si femina illa re tam molli, ut est membrum virile alterius viri, potuit aperiri, ac apta reddi congressui prioris viri: cur id non poterit instrumento ligneo aut ferreo, quæ duriora sunt, absque vitæ periculo fieri? At impedimentum, quod sic auferri potest, nec est perpetuum, nec matr. dirimit. Juxta regulam relatam n. 7. ex *d. c. Fraternitatis.* Et ideo hanc sent. sustinent *Innoc. eo. c. Fraternitatis, num.1. 2. 3. & 7. Hostiensis ibi, nu. 7. & duplici seq. & num. penult. super verb. Redire, Jo: Andr. num.14. 26. & 29. Ant. num. 22. & 25. Card. num. 5. vers. Oppono in eodem vers. Anch. num.10. notab 14. & num.16. vers. Secundo quæro. Præpos. num.18. vers. in fine glossæ, & num.20. in fin. Henr. n. 12. & duplici seq. Alex. de Nevo* dicens esse communem, *& ibi §. Quamvis, n.17. Sotus 4.d.33. q.un. ar.2. col. 7. vers. Sed quid sit; & col.6. vers. Sed ais.* Idem *Hostiens. sum. tit. de frig. in fine.*

Ceterum multo verius est, non ex eo quod potuit ab alio 12
cognosci, præsumptionem esse concludentem potuisse quoque a priori viro: & ita non inde concludi validum fuisse prius matr. sed inspiciendum esse, an uterque vir similis sit ætate, robore, ac membro virili: & si similes sint, præsumi potuisse quoque cognosci a priori viro: & proinde id conjugium validum: secus si dissimiles sint, quia prior vir erat senex, vel debilis, vel alium defectum in virili membro patiebatur: posterior autem juvenis, vel robustior, vel eo defectu membri virilis carebat. Probat ex *c. Fraternitatis de frig.* ubi non vacat mysterio, non dixisse textum absolute, cognoscibilem a posteriori viro, esse quoque a priori: sed quando posterior vir est priori similis, ibi: *Cujus simili commiscetur.* Quæ verba non possunt accipi de sola similitudine in natura humana: id enim manifestum erat: sed de similitudine instrumenti generationis, ac ætatis, roborisque. Hæc namque præsumptionem generat, ut sicut cognosci potuit a posteriori, cognosci quoque a priori potuerit. Et confirmatur, quia quamvis ab uno cognita præsumatur omnibus cognoscibilis, & arcta uni, omnibus arcta: at hæc præsumptio non est jus, & de jure, sed juris tantum, ac proinde recipit probationem in contrarium ob utriusque viri dissimilitudinem. Ut optime docent *Abbas dict. c. Fraternitatis, n.7. & ibi Præpos. n.6. Alex. de Nevo ibi, §. Quamvis, n.3. Astensis 2.p. sum. l.8. t.37. art.2. paulo post princ. Enriq. l.12. de matr. c.7. n.9.* Nec obstant argumenta contraria proposita n. præcedenti. Quoniam ad 1. 2. & 3. constat ex proxime dictis, textus enim non absolute dixit cognoscibilem uni, esse & alteri cognoscibilem, sed quando uterque est similis. Ad quartum dic disparem esse rationem, quod apertio facta membro virili est connaturalis vasi femineo: atque ab eo appetitur, at ligneo vel ferreo est contra naturam, ac omnino violenta, & ideo nil mirum, si ex hac periculum corporis timeatur, quod ex illa non imminet. Et ideo hanc sententiam sustinent ex Jurisperitis, *Abbas antiquus d. c. Fraternitatis, n. 2. & 3. ibi gl. verb. Simili, & verb. Debeat, alter Abbas n.19. Hostiens. sum. t. de frigid. & malef. §. Qualiter & quando, num. 13. fin. Joan. de Friburgo in sum. confess. l.4. t.16. q.5. Astens. 2. p. sum. l. 8. t.27. ar. un. quæst. 2. Monald. summ.* ubi de matrim. *tit. de impossibilitate coeundi, quid sit. Albericus in suo diction. lit. I. verb. Impedimentum, imped. 15. Goffr. sum. t. de frigid. num. ult. Brunel. de sponsalib. concl. 28. limit. 6. num. 25. Turrecr. 33. q. 1. in summ. 3. num. 15. Angelus verb. Matrimonium, 3. imped. 16. num. 4. Rosella verb. Impedimentum, impedim. 15. num. 11. & verb. Divortium, num. 3.* ubi *Supplem. Pisanæ, num. 3. & verb. Impedimentum, imped. 15. num. 12. Silv. verb. Divortium, q.19. num.22. & verb. Matr. 8. qu. 16. dict. 4. lex Reg. t.3. p.4. & ibi Montalv. verb. Divortio. Greg. Lop. l. 17. verb. En miembros, t. 2. par. 4. Ant. Cucus l.5. inst. majorum, t. 12. num. 263. Gaeta c. Ad limina 30. q.1. §.4. q.222 n.525. Matienzo l.5. recop. t.1. rub. gl. 1. n.197. Lancelot. Instit. juris, Canon. l.2. t. de divortiis, §. Si quis tamen, verb. Redire.* Et ex Theologis, *Ricard. 4. dist. 34. ar. 2. q.2. & ibi Durand. q. 2. nu. 8. Palud. q.2. ar.2. concl. 3. num. 14. Supplem. Gabr. qu. un. ar. 2. coroll. 3. & 4. quæ infert ex 3. propos. Borrilong. q. un. ar. 2. post 2. concl. Palacios disp. 1. col. 8. D. Ant. 3 p. t.1. cap. 12. §.3. ad fin. Ang. florib, 1. p.* ubi de matr. *qu.8. ar.1. dub.6. Enriq. l.12. de matr. cap.7. num.9. Vega 2. tom. sum. c. 34. casu 107.* Et hoc idem supponunt alii DD. jure optimo asserentes non restaurari prius matr. ratione arctitudinis feminæ dissolutum, quando per concubitum proprii prioris viri nequit reddi apta copulæ cum illo, quamvis per concubitum cum altero apta sit. Hi sunt *Durand. Palud. D. Anton. Rainerius, Joan. de Friburg. Silv. Mar-*

tin. de Ledesma, Turrecr. Greg. Lopez, ubi eos *nu. 8. retuli Palacios 4. dist. 34. disp. 1. ad fi. Veracruz 1. par. Speculi ar. 38. concl. 5. Barb. l. 1. p. 1. n. 95. ff. solut. matr.*

13 Hoc autem intelligendum est, quando est notabilis dissimilitudo inter utrumque virum. Cum enim præsumptio juris sit, ut femina, quæ uni non est arcta, sed ab eo cognosci potest, nulli sit arcta, sed ab omnibus cognoscibilis (ut n. præced. dixi) oportet, ut hæc præsumptio eludatur, notabilem differentiam inter utrumque virum reperiri. Sic *Durandus lex reg. Enriq. n. præced. allegati.*

14 Quare dum hæc differentia non constat, sed res est dubia, standum est ea juris præsumptione, ut præsumatur potuisse eam feminam a priori viro cognosci, ac proinde ejus matr. sit validum, & instauretur, si jam dissolutum erat. Quia in hoc dubio potiores sunt prioris viri partes, utpote, qui juris præsumptionem pro se habeat. Hujus sententiæ sunt *Abb. & Matienzo n. 12. allegati, & Rosella verb. Divortium nu. 3.* ubi ajunt si non constet de discrimine inter utrumque virum, præsumi feminam potuisse cognosci a priori viro. Et melius *Angelus, & Enriq. eod. nu. 12. relati,* ubi ajunt oportere aperte constare de dissimilitudine, ne præsumatur prius matr. validum, ac restaurandum sit. Et in propriis terminis dubii tradunt *Silvest. verb. Matr. 8. q.16. dicto 4. & verb. Divortium, q.19. n.22.* ubi *Supplem. Pisanæ, nu. 3.* Adduntque *Rosella, Supplem. Pisanæ, & Silv.* (ac bene) id verum esse quamvis maritus prior, iis nuptiis dissolutis, jam ad alias migrasset. Imo & *Hostiens. Joann. Andr. Anchar.* pro contraria sent. nu. 11. relati fatentur, ubi evidenter dissimilitudo hæc apparet, non præsumi validum prius matr. Quando autem constat notabilis inter utrumque virum dissimilitudo, non est femina priori viro reddenda, quamvis sit dubium an per usum illius potuerit quoque reddi apta. Quod sic contra illum præsumptio. Ita *Palud. d. 4. dist. 34. q. 2. ar. 2. in fine.*

15 Quarto deducitur, si judicio medicorum impedimentum impotentiæ medicabile sit absque corporali periculo, quamvis femina renuat incisionem, aut medicamenta necessaria, quibus apta reddatur viro, firmum esse matr. Quod ejus firmitas ac valor minime ex feminæ voluntate pendeant: sed ex ipsa rei natura, juxta quam impedimentum illud temporale est, utpote quod potest per artem absque corporis periculo tolli. Deinde, quia si femina postea pœnitentia ducta acceptaret medicamina, seu incisionem, & iis apta redderetur priori viro, id matrim. esset validum cum impotentia sit temporalis, & tamen non est denuo contractum. Ergo antea erat validum. Et ita docent *Palud. d.34. quæst.2. ar.2. concl.2. nu. 13. D. Anton. 3. p. tit. 1. c.12. §. 1. Turrecr. 33. q. 1. in sum. ar.3. num.15. concl. 1. Sot. 4. d.34. q.un. ar.2. col.6. vers. Sed ais. Angles Floribus 1. par.* ubi de matr. *qu.8. ar.1. dub.9. fin. Gaeta cap. Ad limina 30. q. 1. §.4. q. 229. num. 532. Lud Lop. 2. par. instruct.* ubi de matrim. *c. 52. co. 5. paulo ante vers. Ex quo secundo. Petr. de Ledesma de matrim. qu. 58. ar.1. dub. 5. quod movet circa solut. ad 5. dubii principalis.* Qui bene addit hoc esse verum, quamvis femina renuerit incisionem, eo quod ad illam sustinendam minime teneatur. Cum enim adhuc possit absque periculo auferri, erit temporale, ac subinde non irritabitur matrimon. Quod si medici dubitent, an immineat mortis periculum ex incisione illa, tunc subesse mortis periculum judicatur. Sicut medicis judicantibus an cibus aliquis lethalis sit, peccaret mortaliter eo utens, utpote, qui vere periculo mortis expositus est. Et ideo dubius an res aliqua sit culpa mortalis, nec illam vitans delinquit mortaliter; quia vero rei mortalis periculo exponitur. Similiter ergo, quando dubitatur de periculo mortis ex incisione, vere nequit femina incisionem illam pati, quin mortis periculo subdatur: ac subinde id impedimentum auferri non poterit absque mortis discrimine. Et sic matrim. erit nullum.

16 Difficultas autem est, quid nomine corporalis periculi intelligatur, dum *c. Fraternitatis de frig.* deciditur esse impedimentum temporale, quod absque corporali periculo auferri potest? Quidam censent intelligi mortem ipsam, & ideo si impedimentum tolli revera possit superstite persona, etiam cum mortis periculo, non irritari matrim. Quare existimant in quocumque eventu, & cuivis vitæ periculo exposita fuerit mulier patiens incisionem, si mortem evadat, validum fuisse prius matrim. & id instaurandum, quamvis prior vir aut femina illa ad aliud transierit. Quod vere id impedimentum non fuerit perpetuum, experientia detegente potuisse absque morte reparari. Ita sustinet *Innoc. cap. Fraternitatis, in n. 1. 2. 3. 7. de frig. & malef. & ibi Jo: Andr. n.26. Ant. n. 222. & 33. Anch. n.16. q.2. Card. nu. 5. vers. Oppono in eod. vers. Præpos. n.18. vers. in fine glossæ, & n.20. fine, Alex. de Nev.* dicens esse communem sent. *§. Quamvis, n.17. Brunel. de spons. concl. 28. ampliat. 4. n 19. statim in princ. Ant. de Rosellis de legit. l.1. t. de causa materiali legitimationis, n. 36.* (habetur tom. 8. tract. p. 2.) qui limitat, quando separatur tolli brevi etiam cum eo periculo.

17 Aliis placet nomine hujus corporalis periculi intelligi periculum probabile vitæ aut gravis morbi. Quod text. *c. Fraternitatis, v. Quamvis igitur, de frig.* solius corporalis periculi meminerit: cum eo nomine non solum vitæ periculum, sed quodcumque grave, quale est gravis morbi, comprehendi potest. Sic videtur sentire *Supplem. Gabr. 4. d.34. q.un. ar. 1. notab. 6.* ubi ait censeri perpetuum imped. quando tolli non posset absque notabili corporis læsione. Et *Enriq. l.12. de matr. c.7. n.6.* dicens, quando tolli nequit absque periculo gravis ac diuturni morbi. Et aperte tenet *Vega to. 2. sum. c. 34. casu 111.* ubi ait reputari perpetuum impedimentum, cui subveniri non potest absque gravissimo morbi incommodo, ac si non posset absque mortis periculo. Atque favent huic sententiæ DD. aliqui dicentes irritari matr. ratione impedimenti, quod nequit tolli sine gravi periculo: eo quod id perpetuum censeatur. Nam gravis morbi periculum vere dicitur grave periculum. Hi sunt ex Theologis, *Ricard. 4. d.34. ar.2. q.2. & ibi Palud. q.2. ar.2. concl.2. n.13. Majoris q.1. concl.4. Celaja q.1. ad 3. D. Anton. 3. p. t.1. c.12. §. 1. Petr. de Soto lect.5. matr. p. 2. vers. His autem proximum. Valentia 4. p. d.10. q.5. punct.3.* ubi de impotentia, *statim in princ. Emman. Sa, sum. verb. Matrimonium,* ubi de imped. dirim. *in impedimento impotentiæ, nu. 14. vers. Impotentia est.* Et ex Jurisper. *gl. d. c. Fraternitatis, verb. Corporali, de frigid. & ibi Henricus n.12 Host. sum. eod. tit. §. Quæ impotentiæ, n. 3. Jo: Andr. tr. de matr. n. 16. Alber. in suo diction. lit. I. verb. Imped. 12. Rolan. de lucro dotis, q.104. num. 4. & 5. Silv. verb. Matrim. 8. q.16. dict. Rosella verb. Impedimentum imped. 15. n.11. & ibi Supplem Pisanæ imped. 15. in n.10. & 12. Lex reg. 2. t. 8. p. 4. & ibi Greg. Lop. verb. Grande. Montal. l. 1. verb. Flaqueza, tit. 8. p. 4. Gaeta c. Ad limina 30. q. 1. § 4. q. 219. n. 532. Matienzo l. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. n. 197.*

At quamvis hæc sent. sit probabilis, mihi probabilius est, 18
solius mortis periculum intelligi in *eo. c. Fraternitatis,* nomine corporalis periculi. Ducor, quod idemmet textus *c. Fraternitatis, vers. Per hæc autem,* se explicuit, appellans mortis periculum, quod paulo ante in *vers. Quamvis,* appellarat corporale periculum, ibi: *Nisi per incisionem, aut alio simili modo violentia inferatur, non solummodo levis sed forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur.* Et ita docent *Card. eod. c. Fraternitatis, n.5. ver. Nota casum, in fine Angelus verb. Matr. 3. imped. 16. n.2. Tabiena verb. Impedimentum, imp. 2. q. 1. n.2. Cavalcan. 2. p. decis. 18. n.4.* Et ex Theologis, *Sot. 4. d 34. q. un. ar.2. col.7. verb. Dubium autem. Et ibi Palac. d.1. col.5. Angles Flor. 1. p.* ubi de matr. *q.8. ar.1. dub.1 diffic.1. concl.3. & in corol. 2. quod ex illa infert. Ovandus 4. d.34. d.un. corol. 4. quod infert ex prop. Bart. a Ledes. de matr. dub.48 concl.2. Graffis 1. p. decis. l.2. c.85. n.22. Manuel 1. to. sum. in 2. edit. c.253. concl.1. n. 1. ad fi. Lud. Lop. 2. p. instr. c.52,* ubi de matr. *col. 6. verb. Porro prædictarum q. Cannedo sum. Sacr. c.5. de matr. n.32.* Et credo hanc sent. non differre moraliter loquendo a præcedenti. Quoties enim gravis morbus timetur, subest moraliter periculum mortis.

Quod autem hactenus diximus ex *d. c. Fraternitatis,* censeri 19
impedimentum temporale, quod medicabile est absque vitæ discrimine, limitandum est, si potentia illa ope medicinæ restituta est duratura, non supervenienti brevi alio perpetuo impedimento. Secus est, si brevi temporis spatio duratura est, arbitrio judicis limitanda: ac postea ex eademmet causa primæva adeo arcta reverteretur femina, ut commisceri non posset absque mortis periculo. Tunc enim perinde matr. non valeret, ac si immedicabile esset impedimentum; Quia non dicitur cessare impedimentum, quando durat. Sicut non dicitur medicum stetisse conventis medendi infirmo, ac restituendi in pristinam sanitatem, quando hac brevi durante, redit ex eadem causa morbus. Ut tradit *gl. recepta a Bartolo, & aliis scribentib. l. Maritus 61. ad finem, ff. locat.* Sic *Cavalcan. 2. decis. 18. n. 4.*

Hinc deducitur, quando impotentiæ non potest subveniri 20
absque vitæ periculo, quamvis mulier velit id periculum subire ut apta reddatur viro, non teneri virum id expectare, sed posse matrim. dissolutionem petere, atque ad alias transire nuptias. Quia tunc verificatur id impedimentum perpetuum esse, utpote quod cessare nequit absque vitæ periculo. Sic *Enriq. l.12. de matr. c.7. n.9. Petr. de Led. de Matr. q.59. ar.1. col. pen. in dubio quod movet circa solut. ad 5.* Qui addit si suscepto medicamine habilis efficiatur femina, prius matr. fuisse absque dubio validum. Cum impedimentum cessarit absque miraculo & periculo corporali. Et recte quidem dicit, si experientia ipsa docuerit nulli corporali periculo eam fuisse expositam, ac medicos deceptos esse. Si enim constet revera mortis periculum subiisse, quamvis illa incolumis evaserit, fuit irritum matrimonium: & utrique conjugi liberum erit ad alias nuptias transire: vel priores denuo ratificare. Quia tunc ex ipsa experientia constat, impedimentum non potuisse absque vitæ periculo auferri: ac proinde verum fuisse judicium Ecclesiæ ex medicorum attestatione judicantis illud perpetuum, & ob id dissolventis matr. Et hoc tenent *Astensis 2. p. sum. l.8. t. 27. ar. un. q.2. Enriq. eod. cap. 7. n. 6.* Et omnes Auctores, quos n. 23. referam.

Et juxta hæc intelligendum est, quod tradunt *V. sacr. 1. p.* 21
Speculi, ar.38. concl.8. & Matienzo l.5. recop. 1. rub. gl.1. nu.197. fine, nimirum, dissoluto matr. eo quod medici judicarunt non posse feminam absque vitæ periculo parere (secutus est enim judex sententiam probabilem, quam retuli disp. præced. n. 27. dicentem ex hac impotentia dirimi matr.) si postea pariat, instaurandum esse prius matr. Sed ut hoc verum sit, intelligendum est juxta dicta n. præced. quando experientia comprobavit eam absque periculo peculiari, quod medici judicarunt, peperisse. Secus si id periculum revera adfuerit, quamvis femina incolumis evaserit. Ut ibi probavi.

Sed dubitabis, an eam feminam, quæ in favorem matrim. 22

eam incisionem periculosam experta est, & læsa ac immedicabilis mansit, dissolviturque matr. teneatur vir ille alere? *Enriq. l.12. matr. c.7.n.6.* affirmat: Idque probat ex *c. Requisivisti 33. q. 1.* quod nil probat. Et ex *c. Quod propositi 32. q.7. junct. gl.* Sed nec textus, nec Glossa id probant. Quippe textus ait: *Non tamen ei subsidii opem subtrahat*. Et *gl. verb. Opem*, explicat, idest, dorem acceptam ratione matr. illi reddat: eo quod illud tanquam irritum declaratum cesset. Et ideo quamvis magna æquitate innitatur, ut viri hujusmodi feminæ in sui favorem perpetæ incisionem alimenta ministret, nullam tamen obligationis rationem invenio. Quapropter illam non imponendam viro censeo.

23 Ex dictis etiam infertur, qualiter intelligendum sit, quod multi & non pœnitendi Auctores asseverant, nimirum matr. initum cum femina, quæ per solam incisionem potest reddi apta congressui virili, esse irritum, si ante incisionem ineatur, quare ut facta incisione incipiat valere, desiderari novum consensum, aut saltem perseverantiam in priori. Hi sunt *Alber. in suo diction. lit. I. verb. Impedimentum, imped. 25. Asten. 2. p. sum. lib. 8. t. 27. ar. un. q. 5. Jo: de Frib. in sum. conf. l. 4. t. 16. q. 8. Monald. sum.* ubi de matr. *t. de impossibilitate coeundi quid sit, col. 3. vers. Item pone. Rosella verb. Impedimentum, imped. 15. n. 14. & ibi Supplem. Pisanæ, imped. 15. n. 13. Tabiena ibi imped. 12. q. 6. n. 7. Silv. Matr. 8. q. 10. dist. 4. Armi. verb. Matrimonium, n. 51.* Sed hæc doctrina ita generaliter intellecta est omnino a veritate aliena, & contra textum *c. Fraternitatis frigid.* Si enim incisio illa judicio medicorum poterat fieri absque vitæ periculo, impedimentum non erat perpetuum, & valebat matr. juxta illius textus decisionem. Et ideo eam reprobat *Supplementum Gabr. 4. d. 34. q. un. ar. 2. corollario 1. quod infert ex 3. propos. Et idemmet Asten. is co. ar. un. q. 4.* fatetur valide contrahi ante incisionem, quando per eam absque mortis periculo potest femina reddi apta copulæ. Quare ut ea doctrina vera sit, intelligenda est juxta a nobis tradita num. 20. quando incisio periculosa erat, nec experientia docuit dicto periculo carere. Tunc enim cum a principio non valuerit matr. indiget non consensu, vel in pristino perseverantia, ut vel sic ex tunc valere incipiat.

24 Sed adhuc disputandum superest, an consurgente impedimento, non ex peculiari feminæ arctitudine, præ ceteris feminis, sed ex sola virginitate: quia nempe, vir ita debilis est, aut senex, ut virgineum vas penetrare nequeat, cum posset corruptæ, censeatur impedimentum perpetuum respectu virginis: itaut matr. cum illa initum dissolvendum sit? Contingit enim teste *Alber. Magno 4. d. 34. post solut. ad arg. in fine*, quosdam debilis caloris esse, qui sufficiat ad membrum erigendum, & ad primum impetum, ac cito remittitur, & evaporatur: quare hi possent corruptam cognoscere, in quo coitu non est resistentia aliqua ob vasis feminei clausuram, non autem virginem, prædicta clausura resistente: nam antequam illa superetur, extinguitur debilis ille calor, ac membrum solvitur. Et quidem quando ope medicinæ juvari posset illa viri imbecillitas, ut virginem cognoscere posset, manifestum est valere matr. Quod impedimentum sit temporale, & absque aliqua virginis læsione reparabile.

25 At difficultas est, quando imbecillitati viri nulla ratione consuli potest, sed opus est apertione clausuræ virginei, instrumento aliquo aut medicamine applicato? Nec disputamus hic an teneatur virgo id pati. Quia hoc pertinet ad 3. q. a n. 30. disputandam. Nec inde pendet hujus q. resolutio. Quamvis enim teneatur nec velit pati, si judicamus id impedimentum esse temporale, valebit matr. (ut diximus n. 15.) Ratio autem dubitandi est, quod cum nullum peculiare impedimentum sit ex parte feminæ, sed sola naturalis virginitas ceteris virginibus communis, nulla ratio postulat, ut ipsi incisio aut medicamina adhibenda sint, ut apta reddatur, atque inde valor matr. pendet, quod utique consentaneum esset rationi, quando impedimentum se teneret ex parte feminæ, quod præ ceteris arcta sit. At cum in hoc eventu impedimentum se teneat omnino ex parte viri, soli viro medendum videtur. Medicina enim non sano, sed ægro instituta est. Quod si nulla medicinæ arte remedium viro adhiberi possit, censebitur impedimentum perpetuum, ac proinde judicabitur ineptus ad virginem, & dissolvetur matrim. cum illa initum. Præterea, quia textus *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* decidens esse impedimentum temporale, quando ope medicinæ feminæ subveniri potest, nec dirimi matr. expresse loquitur, quando vitium feminam afficit, quod præ ceteris arcta sit: & in toto eo textu nulla fit mentio, quando femina nullo arctitudinis vitio laborat, sed sola naturali obseratione virginea. Nec DD. juris Pontificii hujus casus meminere, cum tamen frequens sit. Quod non leviter indicat textus, ac doctores supponere, nullam tunc feminæ medicinam adhibendam esse, ex qua valor matrim. pendeat: sed totum hoc negotium in utriusque impedimentum esse refundendum. Et ita hanc partem tenere videtur *Gaeta repet. cap. Ad limina 32. q. 1. §. 4. q. 225. num. 528.* nam ea quæstione mota an impotens ad virginem, potens tamen ad corruptam, valide ducat virginem? refert sent. D. Th. dicentis posse medicinæ artæ clausura virginis referari: & ipse subdit hæc. Sed aliter videtur velle Palud. ut dixi *q. 222. ubi n. 525.* ait, qui nequit ad virginem accedere, bene tamen ad corruptam, cum sola corrupta posse contrahere. Verum Palud. non illi favet. Solum enim vult (ut ex ipso & aliis referam n. 28.) impotentem ad virginem non posse valide eam ducere in uxorem, bene tamen corruptam, si ad eam potens sit. Quod & nos fatebimur n. 28. Sed adhuc stat difficultas, an censeatur perpetuo impotens ad virginem, quando arte medica potest virgo reddi apta. Et ideo *Subvest.* qui (ut n. 28. referam) amplectitur eamdem Paludani doctrinam, censet non esse impedimentum perpetuum dirimens matr. cum virgine, quando medicamine virgini adhibito potest aptari: ut ex ipso referam n. sequenti.

Sed proculdubio tenendum est, si ope medicinæ, absque 26
mortis periculo possit subveniri feminæ virgini, ut apta reddatur congressui illius viri imbecillis, validum esse matrim. Quia textus *d. c. Fraternitatis*, cum regulam generalem tradit, ad dignoscendum an impedim. perpetuum sit, ac dirimens matr. quando per opus humanum absque corporis periculo tolli nequit. Et quamvis textus loquatur de feminæ arcta, id non efficit, quasi ad solam arctam restringens dispositionem: sed quia satisfaciat quæstioni propositæ, quæ de sola muliere arcta fuit. Atque ita dum tradit regulam, generaliter loquitur, non restringens ad arctam, sed ex ea generali regula descendit ad decidendum casum specialem quæsitum de arcta. Ut constat ex illis verbis: *Nos tamen perspicaciter attendentes quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo potuit moveri*. Et confirm. quia si vir senex aut debilis coire nequeat, nisi ope medicinæ adjutus, fatentur omnes id impedimentum temporale esse, nec dirimere matr. Quod possit illi subveniri absque corporis periculo. Cum tamen textus ille *c. Fraternitatis*, ex quo hoc arg. deducitur, de sola femina arcta verba faciat. Ergo necessario fatendum est, regulam in eo textu traditam esse generalem: nec restringi ad peculiarem mulieris arctæ casum. Nec quidquam refert, vitium tunc non se tenere ex parte feminæ, sed ex parte imbecillitatis viri. Matrimonii enim valor minime respicit ex parte cujus se teneat impedimentum: æque enim irritum est, ex parte alterutrius si teneat, si perpetuum sit: & validum, si sit temporale. Quare licet femina tunc ex natura sua medicamine non indigeat, utpote quæ nullo morbo laborat: ac eo per accidens indiget, nimirum, ratione matr. initi, cujus valor pendet ex cognitione, an id viri impedimentum erga virginem temporale sit an perpetuum. Quæ cognitio haberi nequit, nisi sciatur an medicamine utrique conjugi adhibito auferri valeat. Et per hoc solvuntur rationes sententiæ contrariæ. Quare hanc sent. tuentur ex Theologis, *D. Th. 4. d. 34. q. un. nr. 2. ad 5. Et ibi Abb. Mag. ar. 4. post solut. ad arg. in fine. Sotus q. un. ar. 2. col. 6. vers. Sed ait. Palaciot ibi, d. 1. col. 7. Celaja q. 1. in solut. ad 3. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 12. §. 1. Ledesm. 2. p. q. 69. ar. 1. col. 4. vers. Sed tunc oritur. Viguer. l. Instit. cap. 16. §. 7. n. 9. imped. 11. Angles florib. 1. p. de matr. qu. 8. ar. 1. post dub. 9. diffic. 2. Lud. Lop. 2. p. instr.* ubi de matr. *c. 52. col. 5. vers. Ex qua secundo, Petrus de Ledes. de matr. q. 58. ar. 1 col. pen. in dub. quod movet circa solutionem ad 5. Bart. a Ledes. de matrim. dub. 48. fine, Vega 2. tom. sum. c. 35. casu 109. Cannedo sum. Sacram.* ubi de matr. *c. 5. n. 33 Hieron. Llamas methodo curat. 3. p. c. 8. §. 13.* Et ex Jurisperitis, *Alberic. in suo diction. lit. I. verb. Impedimentum, imped. 15. Jo: de Friburgo in summ. confess. l. 4. t. 16. q. 22. Astensis 2. p. sum. l. 8. t. 26. ar. un. q. 1. Turrecr. 33. q. 1. sum. cr. 2. n. 12. Rosella verb. Impedimentum, imped. 15 num. 7. & ibi Supplem. Pisanæ, imped. 15. n. 6. Silv. verb. Matr. 8. qu. 16. ar. 3. Armilla verb. Matrimonium, n. 50. Tabiena verb. Impedimentum, impediment. 12. q. 5. n. 6. Greg. Lop. l. 2. verb. Maestriar, t. 8. p. 4. Ant. Cuc. l. 5. instit. majorum t. 12. n. 261.*

Verum adhuc superest discutiendum, an eo ipso quod vir 27
ad virginem impotens valet corruptæ commisceri, præsumatur eum fore potentem ad virginem, & ita matr. nullatenus dissolvendum sit, quod cum virgine initum est; Hoc procedit supposito non interesse maleficium aliquod: id enim communiter est respectu unius (ut disp. seq. dicemus, ubi & trademus signa ad illud cognoscendum) Atque id supponere videntur *D. Th. D. Ant. Alberic. Asten. Turrecr. Rosella, Supplem. Pisanæ, Tabiena, Armilla, Greg. Lop. Viguerius. Lud. Lopez Vega n. præc. allegati*, dicunt enim quando vir nequit virginem deflorare, cum tamen potens sit erga corruptam, posse medicinis clausuram virginis aperiri, aptumque reddi congressui illius viri. Quare supponunt semper id matr. firmum esse, quod semper ope medica ei impedimento subveniri possit: & ita fieri non posse, ut quis aptus sit ad valide ducendam corruptam, ineptus autem ad virginem. Atque id apertius supponit *Albert. Magnus ibid. allegatus*, ait enim posse digitis aperiri tunc virginis clausuram. Et adhuc clarius id censent *Sotus, Petr. de Led. Barth. a Led. Lud. Lop. Vega, Cannedo ibidem relat.* ajunt enim quando sola virginitas obstat viro potente accedere ad corruptam, non censeri impotentiam perpetuam, sed posse arte auferri, ac valere matrimonium.

Sed quamvis maxima tunc præsumptio sit, fore ut medica- 28
minibus adhibitis utrique, sit vir ille potens ad virginem, atque ita valeat matr. cum illa: non tamen est ita concludens, quin oppositum evenire possit. Et pro hoc parte sunt expresse *Pal. 4. d. 34. q. 2. ar. 1. n. 10. concl 4. Et ibi Supplem. Gabr. q. un. ar. 2. corol 3. quod infert ex 2. propos. D. Ant. 3. par. t. 1. cap. 12. Silv. verb. Matr. 8. quæst. 16. dist. 6.* ubi dicunt viro impotenti ad virginem, potenti vero ad corruptam, concedendam esse facultatem ducendæ corruptæ, non autem virginis. Et sic clare sentiunt posse dari impotentiam perpetuam respectu virginis, quæ cum illa matr. dissolvat: stante potestate cognoscendæ, ac valide ducendæ corruptæ. At fateor maximam tunc præsumptionem stare pro viri potentia ad virginem. Quia constat tunc eum non esse frigidum, & subinde esse potentem naturaliter: nec maleficiatum (ut supponimus) nec præsumitur impotentia respectiva, cum præter naturam aut saltem rara sit, quando ex maleficio non consurgit. Quare in dubio id impedimentum censebitur temporale & medicabile, ac non dissolvetur matr. Et hoc est quod volunt Auctores n. præc. relati, & in simili diximus n. 14. At si vir hic ad virginem impotens, non probat se potentem ad corruptam, succumbet, ac dissolvetur matr. Quia in dubio impotens ad unam præsumitur talis ad omnes. Sicut n. 12. diximus feminam cognoscibilem uhi, aut uni arctam, talem erga omnes præsumi. Quidque autem potentia ad corruptas probanda sit, dicemus n. 35. fine.

29 Tandem dubitabis, an integrum sit huic viro impotenti ad virginem potenti autem ad corruptam, propria auctoritate instrumento aliquo ligneo aut ferreo ad id apto, digitisve, clausura hujusmodi virginis a se ductæ reserare, ut vel sic consummare possit matrimonium? Id esse licitum clare sentire videntur *D. Th. Jo: de Friburgo, Asten. Tab. relati num. 26.* nam verba *Th.* quæ ceteri transcribunt, sunt hæc, *Si non posset implere carnalem actum cum virgine, posset cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset clausura pudoris frangere, & ei conjungi*. Quod idem clarius docere videtur *Albertus Magnus eo. n. 26. relatus*, dicens posse virum digitis aperire viam. At credo id non sentire D. Thomam, nec ejus sequaces, non enim absolute dixere posse virum, sed prudenter addidere, medicinaliter, quasi dicant juxta medicorum præscriptum. Quod innuunt *Alberic. Turrecr. D. Ant. Rosella, Supplementum Pisanæ, Greg. Lopez, Martinus a Ledesma, Viguerius eod. n. 26. allegati*, dum allegato pro se D. Th. his verbis utuntur: *Possint tunc medicinaliter aliquo instrumento clausura aperiri*, Nec explicant a quo, quasi supponentes id consultis medicis faciendum juxta medicinæ leges. Et id solum velle *D. Th.* clarius indicat *Ant. Cucus lib. 3. instit. majorum, tit. 12. n. 261.* ubi D. Th. pro se allegat. ait posse clausura aliquo instrumento ex arte medica referari. Nec ratio, cui innititur D. Th. aliud probat, quæ est hæc: Sic referari clausura non est contra naturam, cum non delectationis, sed medicinæ adhibendæ gratia fiat. Quæ ratio solum probat id ex se licere: non autem posse a viro propria auctoritate fieri. Et id non posse clare sentiunt *Hostien. c. fin. n. 30 super verb. Coitinuum, de frigid. & malef. & ibi Jo: Andreas n. 9. Ant. n. 10. Anchar. ad finem. Præpos. n. 4. vers. De hinc quærit. Alex. de Nevo n. 19. Brun. de sponsalib. concl. 28. limit. 5. n. 22.* dicentes quoties suspicio est, fore ut vir instrumento aliquo defloret uxorem, confugiendum esse ad remedium traditum *c. Cum locum, de sponsal.* quod est, ut mulier a viro separetur, ac in loco tuto constituatur, dum impotentiæ lis deciditur. Si enim id liceret viro propria authoritate facere, injusta esset separatio a viro nil injustum faciente, sed jure suo utenti. Adde etiam peritiam medicorum desiderari ad judicandum an illo medio sit timor magni damni uxoris: & an suavioribus medicamentis id possit fieri: & an potius obest maleficium. Quæ omnia mature prius expendenda sunt, quam ad medium adeo rigidum perveniatur: & quando ad illud deveniendum est, chirurgi peritia desideratur, ut juxta artis præscriptum fiat. Quare existimo id non licere viro propria auctoritate efficere: & si probabilius timor sit fore ut id intentet, separandam mulierem, ac in loco tuto constituendam (ut docent auctores proxime allegati) donec lis decidatur, aut plena securitas detur. Sicut quando ratione sævitiæ fit separatio, juxta *c. Litteras, in fine, de restit. spol.*

SUMMARIUM.

An feminæ nuptæ & arctæ teneantur incisionem necessariam, ut viro aptentur, pati? Refertur duplex sententia, nu. 30. & 31.

Proponitur sententia Auctoris, 32.

Quid, ubi sola virginitas obstat? Refertur opinio, 33.

Explicatur Auctoris sententia, 34.

Quid, si non constet de potentia viri ad corruptas: & qualiter ea probari possit, n. 35. Et ibi quam caute judices præcipere debeant hanc incisionem.

An virgine vel arcta renuente incisionem qua potest apta reddi viro, liceat illi usus conjugii, 36.

An matr. separato ratione frigiditatis, aut arctitudinis, absolutæ, vel respectivæ, sit utrique conjugi interdicendus transitus ad aliud matr. Et an peccet potens transiens absque Ecclesiæ licentia, & valeat, 37.

Quid, si facta incisione, aut restituta femina priori marito, eo quod a simili cognita sit, adhuc non possit ab eo cognosci? Remissive, 38.

30 QUæstio ultima. An femina nupta cujus arctitudini judicant medici posse per incisionem absque mortis periculo subveniri, ut reddatur apta viro, teneatur illam pati? In duplici eventu potest quæstio hæc disputari. Prior est, quando mulier naturaliter est præ ceteris arcta. Posterior, quando arcta non est, sed solum naturale virgineum signaculum congressui virili obstat. Et quidem priori eventu, *gl. c. Fraternitatis, verb. Corporali, de frig. & malef. Greg. Lop. l. 2. verb. Grande, tit. p. 4. Cavalcanus decis. 18. n. 4. Lancelot. instit. juris Canonici, lib. 2. tit. Quæ matrimonium impedire possunt, §. Item frigiditas, verb. Ope medicorum*, dicunt leve periculum debere mulierem arctam pati: atque ita videntur a contrario sensu sentire non teneri pati grave.

Alii in altero extremo sunt, ac stricte loquuntur, dicunt 31
enim teneri pati incisionem, ubi non imminet periculum grave mortis. Sic *Palacios 4. dist. 34. disp. 1. col. penult. vers. Quinto respondebis. Et ibi Ovandus d. un. coroll. 4. quod infert ex 5. propos.* addens dummodo non timeatur perpetuum aliquod corporale incommodum. *Angles florib. 1. p.* ubi de matrim. *quæst. 8. art. 1. dub. 1. difficult. 1. coroll. 2. quod infert ex 3. concl.* Et favet *Suppl. Gabr. 4. dist. 34. q. un. ar. 1. notab. 6.* dicens teneri pati incisionem dummodo enormis non sit. Et tenet etiam *Cannedo Summ. Sacram.* ubi de matr. *cap. 5. in gloss. num 32.*

Sed placet media via, nimirum, teneri pati incisionem 32
illam cum molestia, & gravi dolore & cauterio faciendam, ac gravissimum morbi incommodum non teneri perpeti. Ratio prioris partis est, quod id necessarium sit ad jus copulæ, quod in verum maritum transtulit: & ne cogatur vir innoxius fine matrim. frustratus vitam cœlibem perpetuo ducere. Præterea, quia in eas angustias se conjecit mulier sua culpa: debuisset enim sibi prospicere ante nuptias. Posterior pars sic probatur, quia non videtur mulier cum tanta jactura obligari ad debitum conjugale: ex qua obligatione consurgere debet jus vir ad cogendam feminam pati eam incisionem. Et ita hanc sent. sustinet *Sotus 4. d. 34. q. un. ar. 2. col. 7. verb. Dubium autem, Lud. Lop. 1. p. instr. c. 79. col. 1. vers. Teneturque muliér. Bart. a Led. de matr. dub 48. concl. 2. Manuel 1. tom. sum. 2. ed. c. 235. n. 1. Enriq. lib. 12. de matr. c. 8. n. 8. Vega 2. to. sum. c. 34. casu 111.* Et idem a fortiori docent, quos n. 34. referam, hoc idem asserentes, quando impedimentum est solius virginitatis feminæ.

In posteriori autem eventu, nempe, quando solum est 33
naturale virginitatis impedimentum, gravior est difficultas. *Petrus de Ledesma de matr. q. 58. ar. 1. col. penult.* sustinet non teneri feminam medicamentum ullum admittere: quamvis eo admisso possit absque periculo reddi apta viro: & sic matrim. validum fit. Ducitur, quod nullam patiatur ægritudinem aut defectum, nec per eam stet, quo minus viro debitum reddat. Ac proinde non illi, sed viro incumbit remedium quærere.

Sed doctrina hæc non placet. Quia cum verum sit matr. 34
jus sui corporis transtulit in virum. Ergo ubi potest absque magno incommodo se aptam reddere viro, tenetur. Nec obstat ex parte viri hinc defectum consurgere. Quia cum vir culpa vacet, & naturali illi imbecillitati mederi nequeat, quærendum est remedium ex parte feminæ, ut ipsi viro aptetur. Et confir. si enim vir non posset moveri ad uxorem cognoscendam, nisi certo situ, aut pulchra ornatave pretiosis vestibus sit: quis dubitabit teneri feminam eo situ uti, ac pretiosis indui vestibus, fucisque faciem decorare, ad viri imbecillitatem adjuvandam, Cum tamen impedimentum non oriatur ex parte feminæ. Dices ex his non sequi feminæ detrimentum: at maximum sequitur ex apertione clausuræ. Quod forte decepti sint medici, & postea non poterit vir eam cognoscere, & dissolvetur matrimon. ac illa innupta manebit. Quia alii non credent a viro incognitam. Sed respondeo, dato ex hac parte illam deobligari, haberi jam intentum, nempe non oriri deobligationem hanc ex eo, quod impedimentum non se teneat ex parte feminæ (quod intendit sent. contraria) sed orietur ex damno subsecuto. Sed etiam hinc non oriri, inde persuadetur. Quod cum matrimonium censeatur validum, jus nullum habet femina ad virginitatem tuendam. Quare hoc non est reputandum damnum eo vel maxime, quod si postea dissolvatur matr. durante viri impotentia, notoria erit per sententiam Ecclesiæ præcipientis incisionem, & declarantis viri impotentiam & innocentiam feminæ. Deinde quia incisioni illi & medicaminibus susceptis, præponderant jus ad usum matrimonii, periculum incontinentiæ maximum, ac pollutionum utrinque conjugis, cum perpetuo cohabitare debeant tanquam veri conjuges. Tandem, quia hæc obligatio nascitur ex eo, quod quicumque tenetur ad aliquod obsequium, tenetur subinde ad requisita ad illius exhibitionem. Quare hæc obligatio non nascitur ex impedimento præstito per mulierem: sed ex jure matr. cui aliter satisfieri nequit. Et ideo existimo teneri similiter virginem hanc pati incisionem, quando sine corporis detrimento fieri potest. Sicut n. 32. diximus de arcta. Et ita sustinent *Ledes. 2. p. 4. q. 60. col. 5. vers. Sed dubitabis. Angles Florib. 1. p.* ubi de matr. *q. 8. art. 1. post dubium 9. diffic. 2. Lud. Lop. 2. p. instructorii*, ubi de matr. *c. 52. col. 5. vers. Sed jam hic annotasse. Vega 2. to. sum. c. 34. casu 109. Cannedo summa Sacram.* ubi de matr. *c. 5. n. 38.* Et favet *Celaja 4. d. 34. q. 1. in solut. ad 3.* ubi solum virginem excusat ab incisione, & medicina notabiliter corpori nocente.

Temperant *Angles & Lud. Lop. n. præc. allegg.* ut id verum sit, 35
quoties potentia viri cum corruptis est manifesta. Quia ea non constante forte vir est frigidæ naturæ, nec ejus frigiditatem poterit virgo semel reserata probare, eo negante: ac jacturam virginitatis irreparabilem patietur, nec alii ita commode nubet.